Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Nicolaus Rhodomann

BREVIS DISPOSITIO, ET || Grammatica explicatio || EPISTOLAE || PAVLI AD || TITVM,|| Exercitij causa || IN SCHOLA ROSTO-||chiensi tradita,|| Per || M. NICOLAVM RHODOMANVM.||

Rostock: Reusner, Christoph aus Neustadt, 1597

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1690297263

Druck Freier Zugang





Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1690297263/phys_0001

L.d. 3167.
VD16 R2109
49d. 12.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1690297263/phys_0002

XXVI. 11.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1690297263/phys_0004

BREVIS DISPOSITIO, ET
Grammatica explicatio

EPISTOLÆ PAVLI AD TITVM,

Exercitij causa

IN SCHOLA ROSTOchienſi tradita,

Per

M. NICOLAVM RHODOMANVM.



Ex Bibliotheca Academica Rostochiensi

ANNO

M. D. XCVII.

Excuſa à Chriſtophoro Reuſnero.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1690297263/phys_0005

Illustrißimo principi & Domino, Dn.

FRIDERICO GVILHELMO,

Saxoniæ Duci & Electoratus Saxoniæ Administratori, Landgravio Thyringiæ, Marchioni Misniæ, Domino meo clementissimo.

Salve Saxoniæ Dux clementißime, salve
Inclyta Tyrigetum lux columenq; domus.
Qui pater es patriæ FRIDRICE WILHELME, clientum
Optima spes, Fidei gloria, Iuris honos.
Pro grege non tantùm, sed quæ gratißima cælo
Sunt, pro lege, pia mente animoq; facis.
Asseris & lucem verbi quo sydera adimus,
Quo nihil utilius totus hic orbis habet.
Quod de justicia nos æternaq; salute
Erudit, & summo, non pereunte, bono.
Et monet ut rectè faciant sua munia mystæ,
Debeat & quali vivere quisq; modo.
Id brevis hæc ipsum ceu præstat Epistola Pauli,
Qua tradit Tito talia scita suo.
Quæ magis ut possem cognoscere, sæpe relegi,
Addidiciq; piis cnucleare modis,
Inscripsiq; tibi DVX ILLVSTRISSIME, patri
Qui bona das patria plurima mente meo.
Primitias clemens has optime suscipe Princeps,
Sis felix studijs portus & aura meis.

Illmam Celß. T. subjectißimè colens

Nicolaus Rhodomanus.

EPISTOLA PAVLI AD TITUM pertinet ad genus causarum Didascalicon, sive ad statum finitivum generis Iudicialis. Est enim DEFINITIO BONI EPISCOPI, seu pij pastoris ecclesiæ, omnia fidelis ministri Euangelij officia complectens, quæ sunt: Docere Evangelion; cujus summam illustribus verborum luminibus capite tertio recitabit. 2. Adhortari ad Pœnitentiam, Timorem Dei, fidem, invocationem, Patientiam, sobrietatem, obedientiam, & reliqua bona opera; senes, Matronas, juvenes, servos, capite secundo. 3. Refutare falsa dogmata, & contradicentes ἐλέγχῳ. cap. 1, 3. Hæc brevissima Epistola ad TITVM summa est.

Vt autem colloquium inter præsentes, sic epistola, quæ ἀπὸ τοῦ ἐπισέλλειν nomen habet, inter absentes, non solùm mandata de familiaribus vel publicis negotijs, ad alios missa, sed omnes materias, de quibus dici aut scribi potest, continet. ut Seneca gravissimas de tota Philosophia & Repub. disputationes Epistolis inclusit. Sic Paulus doctrinam de vera agnitione DEI & servatoris nostri IESV CHRISTI, de fide & bonis oporibus, seu vita piè & sanctè regenda, epistolis complectitur. inter quas, ut verbis ferè brevissima, sic varietate & copia Doctrinæ, & præceptorum sanctitate, & saluberrimis vitæ regulis stipata, ideoq; ad verbum

 ediscenda,

ediscenda, hæc epistola est: in qua verè οἱ νόες τῶν λέξεων πλέονες.

Usitatum verò Pauli tempore fuit, nomina mittentium, non subscribi, ut nunc fieri solet, sed præponi Epistolis; Marcus Tullius Cicero, Publio Cornelio Lentulo, S. D. C. Plinius, Cornelio Tacito S. D. Hunc morem Paulus etiam in hac Epistola servat. estq; summa

EPIGRAPHES.

PAVLVS APOSTOLVS, TITO filio S. D. Indicat enim initio Autorem Epistolæ, à quo & qua autoritate hæc doctrina tradita sit, & quare ei credi necessariò oporteat. Cùm enim sit legatus & Apostolus IESV CHRISTI, perinde ei fides habenda est, ac si CHRISTVS ipse voce sua nobis coràm concionaretur. Est autem APOSTOLVS persona immediatè à CHRISTO vocata, & missa, ut doceat Evangelion quocunq; loco, & sit testis, Messiam olim Patribus & Prophetis promissum, jam exhibitum & victimam pro nostris peccatis factum esse, & ex morte resurrexisse. Quæ persona donata est Spiritu sancto, qui per eam miracula edit, quæ testantur, apostolos non errare, & ipsorum doctrinæ tanquam voci DEI de cœlo sonanti certò assentiendum esse. PROPHETA in populo Israel fuit persona immediatè à DEO vocata, ut promissiones de venturo MESSIA illustraret, & legem DEI exponeret, & errores de sacrificijs & alios impios cultus, & regum, sacerdotum & populi peccata taxaret, & pœnas certò secutu-

secuturas, nisi pœnitentiam agerent, prædiceret, habens testimonia, quòd non erret, & missa ad aliqua politici regiminis consilia gubernanda. PROPHETA *in* NOVO TESTAMENTO *est interpres scripturæ Propheticæ, qui doctrinam à Prophetis & Apostolis acceptam aliis proponit, & donum interpretationis scripturarum habet, ut Augustinus, Lutherus.* EVANGELISTA *est persona mediatè à* DEO *vocata, ut doceat Euangelion & constituat ecclesias in pluribus locis. Vide Eusebium lib. 5. cap. 10.* PASTOR *vel* EPISCOPVS *est persona per homines vocata, ut doceat Evangelium & administret Sacramenta, & cæteras ministerij partes obeat in certo loco, non habens testimonium quòd non erret, sed cum à Doctrina Prophetica & Apostolica discedit, labi & errare potest.* DOCTOR, *qui in templo seu schola seu familia proponit auditoribus veram de* DEO *doctrinam, & non administrat sacramenta. Primus autem & summus Doctor Evangelij in Paradiso, mittens cæteros Apostolos, Prophetas & ministros, est* FILIVS DEI, DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS, *summus sacerdos & Rex ecclesiæ, Deo æterno patri & nobis hominibus ὁμοούσιος unctus plenitudine Spiritus sancti, ut Evangelion ex sinu patris prolatum hominibus patefaciat, per quod colligit sibi ex genere humano æternam ecclesiam: & sua intercessione, sacrificio ac efficacia, remissionem peccatorum & salutem æternam impetrat ac donat ecclesiæ: quam in hac vita, verbo & Spiritu sancto regit,*

adversus diabolos ac Tyrannos defendit: & tandem ex morte resuscitatam ornabit vita & gloria æterna.

Post authoritatis Apostolicæ mentionem Paulus GENVS DOCTRINÆ *à se traditæ, non Philosophiam, non legem Mosaicam, sed* EVANGELION *de* CHRISTO, *definit, & summam Euangelij (ut in Epigraphe Epistolæ ad Romanos) intexit. Paulus Apostolus* IESV CHRISTI, *secundum fidem electorum* DEI, *seu missus ad prædicandum Evangelion, ut credant electi, & agnoscant veritatem, ipsam videlicet pietatem, ex qua existit spes vitæ æternæ. Quam promisit* DEVS *verax, superioribus seculis (per Prophetas) manifestavit autem, suis temporibus (ubiq; in mundo) verbum suum (λόγον) per meam prædicationem, quæ mandato Salvatoris* DEI *mihi concredita est. Vt autem Paulo mandatum est Docere & concionari Evangelion, & scribere Epistolas: ita nobis mandatum est audire, attentè legere, discere, fide amplecti, & ad regenda vitæ consilia & actiones omnes transferre. Hac summa exordij, seu prioris partis Epigraphes, considerata, nunc ordine vocabula Grammaticè explicabo.*

PAVLVS, *Ebræis, magnarum rerum effectorem,* δραστήριον, πρηκτῆρα τε ἔγρων *significat à* פעל. *Græcis, Quietum, à* παῦλα: *Latinis parvum. ut Euricius Cordus in Epigrammate quodam lusit:* PAVlus *es ingenio, Paulus pietate, fideq;, Atq; quod es, verè diceris esse Simon. Act. 8. Proprium & gentilitium Pauli nomen* SAVLVS *fuit (quod postulatum seu*

vocatum

vocatum denotat) Id inter Iudæos & Syros retinnit. Act.7. 8. 9. 11. 13.

SERVVS DEI, *non propria autoritate docens, sed* DEI *minister, & Legatus* CHRISTI. *Servus Latinis conditionem servati in bello denotat. Græca vox* Δοῦλος, *à* δεῖν *ligando, vel* δέος *metus, &* ἕλω *capio. Non est tam lenis vox, ut servus.* λάτρης *est nomen ministerij, à* λα *valde,* τρεῖν, *tremere, metuere.* APOSTOLVS, *à præterito medio verbi* ἀποστέλλω, *mitto, quasi dicas, nuncius ab alio missus & ferens alterius mandata. Herod.* κλείω, ὁ μὲν ἀπόστολος ἐς τὴν Μίλητον ᾖν. JESV, *Ebræis Servatorem, seu Salvatorem declarat, Matth. 1.* ἀνθρώπων σωτῆρα ὦλι ξυροῦ ἤδη ἐόντων. *Græci ab* ἰάομαι ἰήσομαι, *medeor, sano.* CHRISTI) *officij nomen à* χρίω *ungo, per Metonymiam signi pro signato, Regem vel Pontificem denotat, nam hi certo oleo ungi solebant, Exod. 29. 30. Levit. 8 Esai. 45.*

JVXTA FIDEM ELEctorum Dei) *Erat servus* DEI, *non juxta legem Mosaicam, sed juxta Evangelion seu fidem electorum* DEI. *Cùm enim fides ex auditu verbi* DEI *existat, sæpè pro ipso verbo seu doctrina, cui credunt electi, usurpatur, ut vulgò Fides Christiana notitiam articulorum doctrinæ declarat. Nec de capite doctrinæ omnium summo & difficilimo quicquam hoc loco disputari convenit, cùm simpliciter Paulus* ELECTOS DEI *nominet, qui Evangelion de* CHRIsto *fide amplectuntur, & certo statuun, se gratuita* DEI *misericordia propter Christum per*

fidem à Deo recipi, & haredes esse vitæ æternæ, & in hac fide usq; ad extremum perseverant.

TITO, Germano filio.

Altera pars Epigraphes, continens nomen illius cui Epistola inscripta est: TITO *filio. cujus vitæ historiam aliqua ex parte Gal. 2. Act. 15. 2. Cor. 7. 8. 13 & 2. Tim: 4. Paulus recitat. Comes enim profectionum & συνεργῶ ministerij Pauli fuit Titus, & cum Paulo interfuit Apostolorum concilio, Act. 15. Deinde relictus à Paulo in Creta, ecclesias ibi oppidatim instituit, & pastores præfecit. Ex Creta evocat cum Paulus Nicopolin, (qua non Macedoniæ sed Epiri urbem, ab Augusto, ad Actium Antonij victore, conditam, significari, Hieronymus adfirmat.) Sed mutato postea consilio, Troade Titum frustra expectat, 2. Cor. 2. Unde in Macedoniam Philippos transijt, ubi Titus postea Paulum convenit 2. Cor. 7. qui secundam Epistolam ad* CORINthios, *per Titum & Lucam Evangelistam Corinthum mittit. 2. Cor. 8. 13. Post id tempus Romæ aliquandiu Paulo captivo adfuit, atq; inde in Dalmatiam profectus est 2. Tim. 4. tandem redijsse in Cretam & anno ætatis 94 ibi mortuus esse scribitur. Titus honoratus, à* τίω, *si Græca dictio est.*

GERMANO FILIO) γνησίῳ τέκνῳ, *nativo, sincero, non fucato, non adscito, ut in versu elegantissimo usurpatur,* γνήσιός εἰμι φίλος, ἡ τὸν οὐ φίλον, ὡς φίλον δίδα. *Te scio sincerum, tibi sum sincerus amicus. Germanus, quasi dicas, ex eodē germine ortus.*

Ad-

Admonet igitur nos Germanorum nomen, vt nativam sinceritatem, candorem, ingenuitatem & fidem tueamur. Nomen Germanorum à Germaniis Asiæ populis aliqui deducunt, vel à Carmanis, quos Persis vicinos & egregiæ fortitudinis laude, à Strabone ornatos esse apparet. aliqui ab Ebræo Gerim Ani, advenæ miseri seu pauperes: aliqui ab HEERMAN, *viri exercitus, militares, ut apud Plinium lib. 4. cap. 14. Hermiones nominantur. Aliqui Germanum dici putant, quasi* Garman, *totus vir, prorsus vir, vel* Geirman/ ein Krieger *à desiderio, avidus prædæ, vel à vultare. Æneas Sylvius à fœcunditate gignendorũ populorum, à germine. Strabo latinam Etymologiam fingit, quòd germani fratres Gallorum fuerint. Germanos vocitant Itali, Graij sed adelphos, Quòd fratrũ soleant inter se vivere more. Sed has Etymologias obiter tantùm annoto, nunc ad textũ redeo.*

Secundum communem fidem) *Non natura filium, non secundum carnem ex me natum, sed spiritualem, quem per Evangelion genui, ut in Christum crederet.*

Gratia, misericordia, & Pax) *Vsitatè Epistolis premittitur* SALVTAtio, *(ut Cicero Epigraphis addit S. P. D.) Quæ, & benevolentiæ erga eos, ad quos scribimus, significationes sunt; & precationes quibus salutem & omnia bona ipsis à Deo optamus. Peculiaris autem & Paulo solennis salutandi forma est* GRATIA, *seu favor DEI, gratis propter Christum remittentis peccata & recipientis nos ad vitam æter-*

nam. MISERICORDIA *ex corde afficitur aliorum miseriis, ac mera bonitate relaxante aliquid de summo jure, lenit pœnas, ac opitulatur miseris. Adolescentes Pici Mirandulæ versus misericordiam* DEI *describentes, meminerint.*

Tu Deus ille ipse es, proprium cui parcere
Iustitiamq́; pari qui pietate tenes; semper
Præmia qui ut meritis longè majora repen-
Supplicia admissis, sic leviora, malis. (dis,
CHRISTE, tua est nostris major clementia
(culpis,
Et dare nõ dignis res mage digna Deo est.
Quanquã sat digni, si quos dignatur amare,
Qui, quos non dignos invenit, ipse facit.

Ergo tuos placido miserans, precor aspice vultu &c.

PAX) *Tranquillitas conscientiæ nobis in Deo propter Christum propitio acquiescentis, gubernatio Spiritus sancti, auxilium & felices successus in vocatione, liberatio ex periculis, & summatim omnia bona. sicut Latini vocabulo* SALVS *omnium bonorum complexionem exprimunt.*

A Deo patre & Domino IESV CHRISTO servatore nostro.) *Cùm salutatio sit precatio ad Deum directa, inserit mentionem Dei & Domini nostri* IESV CHRISTI, *ut veram invocationem ab Ethnica discernat. Vnicus enim est, & solus verus Deus conditor cæli & terræ, qui est æternus pater, filius, Spiritus sanctus, quem Ethnici, Turci, Iudæi,*

vel

vel prorsus ignorant, vel contumelia afficiunt. Ioh. 5. Qui non honorat filium, non honorat patrem. Deinde de voluntate Dei sunt incerti, quia promissionem Euangelij & filium mediatorem aspernantur. Vera autem invocatio ad hunc unum Deum patrem Domini nostri IESV CHRISTI, patefactum misso filio & dato Evangelio directa est, Deinde, certo statuit se recipi & exaudiri propter filium mediatorem. Nam & filius est verè & natura DEVS, à quo hæc bona petenda sunt, & propter ipsum exhibentur, nec aliter vult agnosci & coli à nobis DEVS, nisi per filium in carne manifestatum.

Ideo reliqui te in Creta, ut constituas Presbyteros) Principalis propositio & status Epistolæ ad TITVM, est DEFINITIO EPIScopi, seu Pastoris Ecclesiæ, seu presbyteri, seu ministri Evangelij. Hæc enim vocabula, iis temporibus synonyma fuerunt. Vt autem Apostolus est persona immediatè à Deo vocata, sic Episcopus seu pastor ecclesiæ est persona mediatè à Deo vocata, ut fideliter doceat doctrinam à Deo traditam, legem & Evangelion de CHRISTO, & administret sacramenta in certo loco: lege Dei peccata arguat; per Evangelion territa corda consoletur: ad omnia bona opera exhortetur: contradicentes refutet, & veræ pietatis ac omnium virtutum exemplo auditoribus præluceat.

Cùm autem jubeat hic Paulus constitui presbyteros, seu ministros & concionatores Evangelij, in singulis oppidis, primum immensa amplitudo

beneficij

beneficij divini consideretur, quòd tradita certa doctrina, illustribus testimoniis se generi humano patefecit: & ministerium docendæ & propagandæ hujus doctrinæ instituit: ut æternam ecclesiam sibi colligat, à qua agnoscatur & celebretur, & cui suam sapientiam, justitiam & lætitiam in omni æternitate communicet. Ac primus minister Evangelij, & summus Doctor Ecclesiæ in Paradiso fuit ipse filius Dei, qui deinceps patres, Prophetas & Apostolos immediatè sua voce vocavit, ijsq; mandatum dedit, alios ministros ad docendum idoneos eligendi ac ecclesijs præficiendi. 2. Tim. 2. Quæ audivisti à me multis testibus, commenda fidelibus hominibus, qui sint ad alios docendos idonei: ac Deus per evangelion, per hos mediatè ab hominibus vocatos, prædicatum, non minus efficax est ad salutem omni credenti, quàm si filius ipse sua voce concionaretur. Luc. 10. Qui vos audit, me audit. Ioh. 17. Rogo non pro eis tantum, sed pro omnibus credituris per verbum eorum. Huc tota doctrina de Vocatione, electione ac Ordinatione ministrorum pertinet, cujus partes sunt 1. Vocatio seu electio personæ, per eos, qui jus vocandi habent. 2. Examen seu exploratio doctrinæ & vitæ vocati, de omnibus fidei articulis & ministerij partibus. 3. Testimonium publicum, quo ecclesiæ indicatur hanc personam legitimè vocatam & idoneam esse: & Precatio, ut Deus per vocati ministerium efficax sit, & multos ad salutem æternam convertat. His summis rerum brevissimè indicatis, ad institutam Grammaticam e-

narra-

narrationem Textus redeo. Sumite igitur textum Epistolæ in manus & diligenter attendite.

Ideo reliqui te in Creta) *Insulæ situs, cunctis qui tabulas Geographicas inspiciunt, notissimus, ad centum miliaria Germanica extenditur, quam Virgil. Æneid. 3. celebrat. Creta Iovis magni medio jacet insula Ponto, Mons Idæus ubi, gentis cunabula nostræ, Centum urbes habitant magnas, uberrima regna. Hodie Candiam appellant, à metropoli (quæ olim Cydonia fuit) in qua summum Archiepiscopi templum S. Tito dicatum est. Tota insula nunc Venetis paret: quibus anno Christi 1205. primùm à Balduino Imperatore Byzantij, ex pacto tradita est. nobilis generoso vino Cretico. Veteris Cretæ, qualis Christi tempore fuit, descriptio apud Strabonem lib. 10. extat. Hodiernæ insulæ statum, ex commilitone nostro, Davide Crollio Stolpensi Pomerano cognoscere studiosi coràm possunt, qui diutius biennio in ea insula vixit.*

Vt constituas presbyteros) *Ætatis Presbyter nomen.* πρέσβυς. *n. Senē significat* ὅμα πρόσω καὶ ὀπίσω λέυσοντα, *cujus judicium, prudentia & peritia regendi alios, usu rerum ac experientia confirmata est: cùm juvenes seu Neophyti plerumq; inopia judicij de doctrina, curiositate, ambitione,* φιλαυτίᾳ, *inconstantia & præcipitantia laborent;* ἀεὶ δ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν φρένες μετέωνται. *Semper juvenum mentes sunt pendulæ, tanquam in aëre inconstantes ac incertæ*

incertæ agitantur; &, νέος φιλοδοξῶν πρώϊμος πονηρία: Iuvenis cupidus gloriæ, præcox malitia est.

Non fuerunt autem initio diversi gradus Episcoporũ & presbyterorum jure divino, Act. 20. Phil: 1. 1. Pet. 5. Tit. 1. Sed postea, humana autoritate distincti sunt, & constitutum, ut presbyteri ab Episcopis, velut à gradu superiore, ordinarentur. Est igitur hic ordo juris humani.

Si quis est inculpatus) Definitio EPISCOPI, constans ex propriis officiis, & coacervatione Adjunctorum & Accidentium: Qualis debeat esse Episcopus, describens potius quàm definiens.

Sit ἀνέγκλητος) Orditur à Genere, cui species virtutum cæteras subijciet. Nec vult Episcopum sine omni peccato esse. Nam in omnibus etiam sanctis manent peccata, de quibus quotidie orant: Dimitte nobis debita nostra. Sed sit ἀνέγκλητος, non reus ullius criminis, propter quod meritò poßit in judiciũ vocari: non hæreat in eo manifesta turpitudo: sit sine tali scelere, quod in judiciis ecclesiæ vel politicis damnatur: ab ἐγκαλέω in jus voco. Sit vir bonus, justus, seu præditus obedientia universali erga omnes leges; Hæc justitia in sese virtutes continet omnes, ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετὴ ὄστι. Species seu partes sunt, castitas.

Sit unius uxoris vir,) Castus maritus. Nusquam enim reperias minus inquinatam morum integritatem, quàm apud conjugatos: cæteri sub umbra castitatis turpius libidinantur, inquit Erasmus. Sit igitur Episcopus castus, sive cælebs sive maritus, non adulter, non polyga-

mus,

mus, non bigamus, qui eodem tempore duas uxores habeat. Diserte autem mariti mentionem facit Paulus, ne per superstitionem prohiberetur conjugium ministris Evangelij etiam Digamis, qui nunc vocantur, qui vel viduam, vel priore mortua secundam ducunt. Nam hi verè Monogami seu unius uxoris mariti sunt. Est autem conjugalis castitas, corpus suum uni conjugi castum & sanctum servare, & leges conjugij divinitus institutas, reverenter tueri.

Liberos habens fideles) Pertinet ad pij mariti, quem eligi jussit, seu boni patrisfamilias descriptionem, ut liberos obedientes, & in disciplina & doctrina Domini educatos, habeat, qui fidem erga Deum & homines sinceram & illibatam servent, ac exemplo suo alijs præluceant.

μὴ ἐν κατηγορίᾳ ἀσωτίας) Non infames de luxu, de crapula, helluatione, profusione & vita cyclopica, Asotis familiari, de quibus dicitur: Vivite lureones, comedones, vivite ventres. Sunt autem quatuor virtutes vicinæ, quibus opposita est ἀσωτία: Temperantia, servans modum in cibo & potu corpori convenientem. Continentia frenans libidines prohibitas. Parsimonia, servans modum in sumibus, & Frugalitas, non solùm parcè utens rebus, sed etiam arte quadam & certo ordine rectè collocans. Harum virtutum omniũ vicia seu excessus ἀσωτία complectitur, & derivatio concinna est, ab α, particula privativa & σάω servo, qui sua non servat, sed helluationibus conviviis & luxu profundit. Sicut Latinum helluo ab

eluendo

eluendo, Der rein ausspulet. Wer alls verzert für seinem end / Der macht ein richtig Testament. *Cicero 2. Finib. describit Asotos, qui in mensam vomant, qui de convivijs auferantur, & crudi se postridie rursus ingurgitent, qui solem neq; occidentem unquam viderint, neq; orientem, qui consumtis patrimoniis egeant. Non subditos, ἀνυπότακτα, inobedientes, qui in ordinem cogi nequeunt.*

Oportet enim Episcopum) *Quem antea Presbyterum nominavit, ab ætate, nunc Episcopum à dignitate & officio ab ὑπισκοπεῖν inspicere, superintendere, cum cura & vigilantia pro salute ecclesiæ sibi commissæ, excubare.*

Tanquam Dei dispensatorem) *Non autorem doctrinæ, non dominum verbi & Sacramentorum, sed dispensatorem alienorum bonorum fidelem 1. Cor. 4. Est autem fidelis ministri vel Episcopi, ut primùm rectè didicerit & intelligat doctrinam à Deo traditam. Deinde, sit diligens in omnibus ministerij partibus, docendo, arguendo, exhortando, consolando. 3. Sit constans. Luc. 12. Quis est fidelis & prudens servus, quem constituit Deus super famulitium suum?*

Non superbum) μὴ αὐθάδη, *non sibi nimium placentē, non se ac sua immodicè amantem, ab* αὐτοῦ ἅδης, *qui sibi ipse immodicè placet, sese admiratur & magnifacit, & alios despicit, & propria sapientia, sanctitate & viribus confidit. Vt enim Diabolus, Evæ in Paradiso, virus superbiæ, hac voce, Eritis sicut Dij, instillat: ita omnes homines, naturâ* φίλαυτοι καὶ αὐθά-

δεις

ræ sunt, sese nimiùm amant, & suis opinionibus delectantur, cùm amor sit cæcus & facile decipiatur circa rem amatam, atq; hoc errore fascinati putant se multum sapere, cùm nihil intelligant, atq; hoc modo turpiter hallucinantur, ut Platonis in Quinto de L L. verbis utamur. Virtus opposita est Modestia frenans arrogantiam, ambitionem, jactantiam, æmulationem, κενοδοξίαν &c. Et HVMILitas in primo præcepto, qua in timore Dei, agnoscentes propriam infirmitatem, non superbimus, sed vero corde nos DEO, & in officijs nostræ vocationis, fiducia auxilij Divini obeundis, & præstanda in pœnis & ærumnis obedientia, & exhibendo alijs honore debito, subijcimus.

Non iracundum) Mansuetum, placidum, mitem, qui iracundiæ & vindictæ cupiditati moderetur, remittat offensiones, & condonet etiam veras injurias publicæ concordiæ causa. Nihil enim est magnum, quod non idem sit placidum. Theodosio imperatori iracundiori Ambrosius præceptum tradidit, ut iratus nullum verbum proloqueretur, antequam Græcum Alphabetum recitasset. Pertinet ad 5. præc.

Non vinosum) Sobrium, temperantem. Ephes. 5. οἴνῳ μὴ μεθύσκεσθε ἐν ᾧ ἐστὶν ἀσωτία. Consuetudine insaniæ durata vitia, vino concepta, etiam sine vino durant. Ad Sextum præc.

Non percussorem) Iustum justicia particulari, qui nullius corpus aut vitam manifesta violentia lædat. vel in genere, minister Evangelij seu Episcopus non puniat inobedientes pœnis corporalibus, ut Ma-

stratus Politicus, sed solo verbo. Magistratus enim Politicus gladio punit Rom. 13. Magistratus Dei minister est tibi in bonum. Episcopus verò punit verbo & lege, quam Deus prædicari jubet per Prophetam Ezechielē cap. 3. Fili hominis, omnia verba mea &c.

Non turpis lucri cupidum) Non avarum, non pleonecticum. Virtus opposita est Iusta possessio, & bonus usus propriarum facultatum, quæ in timore Dei & fide ac bona conscientia tenet res proprias, & agnoscens eas à Deo dari & custodiri, sedulò studet eas honestis rationibus augere, & ad vsus à Deo ordinatos conferre. Extrema sunt omnes πλεονεξίαι & fraudes in contractibus, usuræ, furta, sordes, avaritia.

Sed Hospitalem) Species beneficentiæ in septimo præcepto, quæ peregrinos & hospites, ac præcipuè propter veræ doctrinæ professionē exulantes, vera benevolentia & omnibus officijs pro facultatum modo complectitur. Hæc inprimis laudatur in Episcopo, & in ecclesia necessaria est propter crebra exilia piorum, quæ nos de primo exilio admonent, quo cælestem patriam amisimus, & de exilio filij Dei, qui propter nos factus est exul: ut nos in cælestem patriam reducat. Ζεὺς ἐπιτιμήτωρ ἱκετάων τε ξεινών τε, ζείνιος ὃς ξείνοισιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ: Deus est vindex suplicum & hospitum, qui comitatur hospites venerandos, die ehren werdt sein/honestos, modestos, nicht die sich halten das man sie ins Narren heußlein stecket/ut plurimi in cauponis divertentes, & totum diem ac noctem potantes & tumultuantes.

Beni-

Benignum φιλάγαθον) *Bonorum amantem. Amicitia & ſtudium concordiæ cum bonis, in quinto præcepto.* ἐθλῶν μὲν γὰρ ἀπ' ἐθλὰ διδάξεαι, ἢν δὲ κακοῖσι συμμιχθῇς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον, *à bonis bona diſces: ſin autem cum malis converſaberis, amittes etiam quod bonæ mentis reliquum eſt.*

Sobrium σώφρονα) *Temperantem, modeſtum, Frugi, circumſpectum, & moderatum. Ariſtoteles* σωφροσύνην *dici, quaſi* σώζουσαν τὴν φρόνησιν, *ait, quòd temperantia ſit cuſtos prudentiæ, intentionis, diligentiæ, circumſpectionis, vigilantiæ.*

Iuſtum δίκαιον) *qui neminem lædat, nullius corpori, famæ, aut bonis noceat vi, vel fraude: ſecundam tabulam Decalogi comprehendit.*

Pium) *ſeu ſanctum,* ὅσιον, *omnia officia primæ tabulæ complectitur.*

Continentem) ἐγκρατῆ, *qui libidines frenat, idem ferè quod caſtitas in Sexto præcepto.*

ἀντεχόμενον τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου) *Tenacem fidelis & certi illius ſermonis ſeu verbi, quod ſolum eſt veritas, & ad docendos alios, & veram agnitionem Dei, fidem, invocationem, patientiam in eis ædificandam accommodatum.*

πιστὸν λόγον) *Cui fides meritò haberi poteſt, qui firma fide amplectendus eſt, 1. Tim. 1.* πιστὸς ὁ λόγος καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, *certus ſermo & firmiſſimè amplectendus. Quatuor autem fines ſeu uſus* πιστοῦ λόγου *verbi Dei, quod ſolum eſt veritas, in eccleſia per Epiſcopos & presbyteros prædicati, hoc loco &*

2. Cor. 14. 1. Tim. 4. Paulus constituit. Primus est Doctrina, ut rectè doceantur homines de Deo, de vera agnitione & invocatione veri Dei, qui est æternus pater, filius & Spiritus sanctus, de exordio mundi, de creatione angelorum & hominum, de causa peccati & mortis, de remissione peccatorum propter filium Dei pro nobis mortuum & resuscitatum gratis donanda, de bonis operibus, de Sacramentis, Baptismo & Cœna Domini, de ecclesia & de cruce ac consolationibus ecclesiæ, de morte & immortalitate, de resurrectione & vita æterna, æternisq; pœnis. De quibus summis rebus nulli alij libri Philosophorum vel Poetarum vel aliorum sapientum, quicquam certi nos docere possunt. Duplex autem ratio docendi est in ecclesia, Episcopis & Doctoribus usitata: Aut enim Catechesis seu corpus doctrinæ Christianæ integrum, constans præcipuis locis breviter & perspicuè explicatis, proponitur: aut Interpretatio alicujus partis scripturæ sacræ, suscipitur: in qua hæc quatuor docenti præstanda sunt, ut primùm referat propositum textum ad locos communes, qui summam seu corpus doctrinæ constituunt: deinde, enarret genus sermonis, verba, phrases, figuras; quam ad rem cognitio linguarum & artium dicendi necessaria est. Tertiò, monstret ordinẽ seu seriem & ἀκολουθίαν partium. Quartò refutet veræ sententiæ corruptelas. Alter finis est Exhortatio, traducens seu impellens animos auditorum ad aliquem affectum, ad fidem, timorem Dei, pœnitentiam, patientiam, castitatem, temperantiam. Tertius, Consolatio animorum in doloribus

doloribus ortis ex sensu iræ Dei, & conspectu nostrorum peccatorum, ac pœnarum æternarum & temporalium, ut mortis, morborum, paupertatis. Est autem totum Evangelium consolatio: & ad hos duos posteriores fines semper doctrina referenda est. Ac adminicula eorum sunt præcepta generis Suasorij in Rhetoricis. Hos duos fines exhortationem & consolationem Paulus uno verbo παρακαλεῖν hoc loco complectitur. ἵνα δύνατος ᾖ καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ, ut potens sit, seu possit etiam exhortari per doctrinam sanam. Significat enim παρακαλεῖν & adhortari & consolari. Vnde Spiritus sanctus παράκλητος consolator, in Iohanne dicitur.

Contradicentes convincere) τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, Quartus finis seu usus πρὸς λόγον verbi Divini est, ut omnes falsæ opiniones de Deo, impia dogmata & corruptelæ veræ doctrinæ, plausibili veritatis specie fucatæ, ex κριτηρίοις certitudinis siue evidentibus & immotis verbi Dei sententijs, perspicuè refutentur, & contradicētes convicti divina voce se redargui agnoscant. Id enim propriè significat ἐλέγχειν, dextrè & eruditè refutare, erroris convincere, evidenter monstratis locis & causis impostrarum, & deducto contradicente ad normas seu κριτήρια certitudinis, ubi se Divina voce ἐλέγχεσθαι seu convinci sentiat. Ebr. 11. Fides est ἔλεγχος οὐ βλεπομένων est certum ac evidens argumentum & demonstratio eorum, quæ non videntur. nam articulos fidei & alia bona invisibilia, tanquam oculis subjecta, demon-

strat. Opus est autem πρὸς ἔλεγχον seu Refutationem contradicentium ac sophismatum, multis virtutibus, amore veritatis, eruditione, sagaci judicio, & arte disputandi, candore & dexteritate in judicando & cæteris. Semper enim in sophismatibus, vera aliqua & splendida & pausibilis sententia proponitur, ut aditus sit speciosus, & invitet auditores. Postea falsa intexuntur malâ consequentiâ. Sed Dijudicatio eruditè, rectè, prudenter, dextrè, concinnè facta, retegit mendacium, & patefacit ac tuetur veritatem.

Sunt enim multi inobedientes) Hactenus veri ac Ecclesiæ salutaris Episcopi ac Doctoris Imaginem & officium, Paulus expressit. Nunc Antithesin addit, & PSEVDOEPISCOPOS seu FALSOS DOCTORES, veræ Evangelij doctrinæ contradicentes, ideoq; à veris episcopis graviter refutandos, & velut lupos severè ab ovilibus Ecclesiæ repellendos: usq; ad finem primi capitis describit. Inprimis autem Pseudapostolos Iudæos accusat, qui non solùm Evangelion seu Fidem in Christum, sed circumcisionem quoq;, & alios ritus Mosaicos, & opera legis ad salutem necessaria esse contendebant: ac ut plus cæteris sapere viderentur, frivolas & curiosas quæstiones, & subtilitates non necessarias, & ad veram pietatem inutiles agitabant. & suo ventri ac quæstui magis quàm gloriæ DEI serviebant, de quibus Philip. 3. queritur. Cavete canes, cavete malos operarios, cavete concisionem (Iudæos falsò de circumsione gloriantes sed revera concidentes & perdentes ecclesiam) Nos enim su-

mus circumcisio (vere pij, circumcisi Spiritu) qui spiritui Deo servimus, & gloriamur in Christo Iesu. Hi verò sunt hostes crucis Christi, quorum finis exitium & Deus Venter est & gloria in confusione: Qui hoc loco ἀνυπότακτοι nominantur, contumaces, refractarij, ad normam verbi divini se non accommodantes. Item Ματαιόλογοι, quod propriè ad Doctores pertinet, qui omissa doctrina utili, & ad veram pietatem in animis auditorum accendendam necessariâ, inanes & futiles argutias & subtilitates, ac Quæstionum curiosarum ac inutilium examina tractant. Quales infinitas Scholastica Theologia, & vnius Thomæ Aquinatis summa, in omnibus Christianæ doctrinæ locis suppeditat.

Studiosi duas utilissimas Discendi & Docendi Regulas meminerint. Vnam Æschyli, ὁ χρήσιμος εἰδώς, οὐχ ὁ πολλὰ εἰδώς, σοφός. τὰ μὲν ὠφελοῦντα, μὴ πόλυ μάτην. alteram Socratis ad Nicoclem. Σοφὸς νόμιζε, μὴ τὸς ἀκριβῶς περὶ μικρῶν ἐρίζοντας, ἀλλὰ τοὺς ἔυ περὶ μεγίσων λέγοντας. Sapientes Doctores judica, non subtiliter de rebꝰ parvis litigãtes, sed qui de rebꝰ magnis & utilibꝰ præclarè disserũt.

Seductores) φρεναπάτας, qui falsis ac impijs opinionibus & dogmatibus mentes auditorum inficiunt & seducunt.

Maximè qui sunt ex circumcisione) Metonymia, ex circumcisis Iudæis, qui Iudaismum seu Ceremonias legis, cum fide in Christum, ut Ebionitæ ac Cerinthiani, conjungebant. Cum quibus in epistola ad Galatas, Philippenses, et passim alibi Paulus litigat.

Proprius eorum prŏpheta) *Vates futura prædicens*, EPIMEnides, *ex cuius libro de Oraculis hunc versum sumptum esse Hieronymus adfirmat. Vsurpat alioquin prius Hemistichion Callimachus quoq; in Hymno de Iove.*

κρῆτες ἀεὶ ψευσταί. καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο
κρῆτες ἐτεκτήναντο. σὺ δ' οὐ θάνες. ἐσσὶ γὰρ ἀεί

Cretenses semper vani. tibi namq; sepulchrum Extruxere, Deus. qui semper vivis, & usq; es.

Increpa eos severè) ἔλεγχε αὐτοὺς ἀποτόμως. *Argue & refuta eos præcisè.* Vt sint sani in fide, *ut sanam, veram, vtilem & salutarẽ de Deo & servatore nostro Iesu Christo ac æterna salute nostra Doctrinam, studiosè discant, fide amplectantur, & constanter retineant ac propagent, & futiles Iudæorum superstitiones & ritus per Evangelion Christi abolitos abijciant & aversentur. Nam leges Mosaicæ de circumcisione, de sacrificijs, de ciborum & dierum delectu, & contactu corporum mundorum & immundorum, & similibus ceremonijs inutilibus, & non necessarijs, nihilo jam magis quàm cæteræ Traditiones ab hominibus institutæ, Christianos obligant. Quibus cùm opiniones quod mereantur remissionem peccatorum, quòd propter eas homo sit justus, quòd sint cultus Dei per seſe, quòd sint Necessariæ ad salutem, quarum omissio sit peccatum, affinguntur: hæ opiniones falsæ ac impiæ simpliciter AVERSANTVR VERITATEM Matth. 15. Frustra colunt me mandatis hominum. Coloss. 2. Cur decreta facitis, Ne tetigeris, ne*

gustes

gustes, ne contrectes, ex mandatis & doctrinis hominum. Etsi autem hæc pleraq; sunt ἀδιάφορα, *quorum usus concessus & licitus est pijs, quorum corda Fide in Christum purificata sunt, ut hoc loco inquit, Omnia munda mundis (Tales enim intelligunt, se non pollui ullo vel cibo vel potu vel corporum contactu, sed tantum Peccatis & pravis cupiditatibus à Deo prohibitis & damnatis:) tamen impijs & infidelibus omnia immunda sunt, quorum Mens seu pars animi cognoscens & judicans, seu intelligentia* θεωρητικὴ, *cœcitate & caligine, & falsis ac impijs opinionibus polluta: Conscientia vero, in intellectu* πρακτικῷ *& in corde, contra se ipsam testimonium dicit, quod neglecta fide Deo debita & varijs delictis ac Inobedientia erga Deum se contaminarit. Est enim* CONSCIENTIA *in genere judicium in mente humana, quo rectè facta approbamus & delicta improbamus, quod judicium ordine divinitus sancito comitatur in rectè factis, tranquillitas & lætitia cordis. In delictis & sceleribus Dolor & tristitia destruens reum delicti.*

Tales Hypocritæ, quorum Mens & conscientia Impietate polluta est, Verbis quidem DEUM *& pietatem veram profitentur, sed factis negant, Abominabiles,* βδελυκτοὶ, *à* βδέω *crepo, pedo.* ἡ γὰρ σπονδύλη φεύγουσα πονηρότατον βδεῖ. *Feles fugiens pessimè pedit.*

βδελύττειν, *non tantùm fugere & aversari, sed cum magna commotione fugere & nauseare denotat.* Da man ein Grewel vnd schew für haben soll.

CAPVT SE-CVNDVM.

HActenus Descriptionem BONI EPIScopi, Quibus virtutibus ornatum esse oporteat? & præcipuum illius officium, videlicet Doctrinã Evangelij, seu FIDEI in Christum sinceram ac illibatam fideliter Docere & constanter retinere: & Antitheſin PSEVDEPIScoporum seu falsorum Doctorum, Iudaicas opiniones & superstitiones, ac Traditiones Humanas Evangelio miscentium, capite primo breuiter absolvit. Nunc alterum Boni Episcopi officium principale, videlicet Doctrinam de BONIS OPERIBVS, ab omnium ætatum & ordinum hominibus DEO præstandis orditur, & Generalem Adhortationem ad Bona opera, erudita methodo & insignibus verborum luminibus, in fine capitis attexit. Ideo enim in Evangelio Gratia Dei salutifera omnibus hominibus annunciatur, & Gratuita Dei misericordia propter Christum nobis peccatum remittitur, non ut deinceps impunè nobis peccare & omnibus cupiditatibus & delictis indulgere liceat, sed ut non amplius scientes & volentes peccemus, & abolito in nobis peccato, & morte, Novam obedientiam, nouam justitiam & vitam, cùm voluntate & verbo Dei congruentem, inchoemus. Rom. 6. 7. 8. Eph. 2. Sed hanc methodum doctrinæ de bonis operibus, & illustria verborum lumina, suo loco breviter explicabimus. Iam Textum secundi capitis,

pitis, de singularum ætatum Bonis operibus, seu officijs convenientibus, ordiemur.

Tu verò loquere, quæ decent sanam doctrinam.) *Repetit brevi epilogo summam primi capitis de principali officio boni episcopi, quod est* λαλεῖν, LOQVI, *non garrire, blaterare, ut in veteri versu,* λαλεῖν ἄριστον, ἄφρων ὥτατον λέγειν, *sed Docere prædicare, concionari, quæ decent sanam doctrinam, in Euangelio seu verbo Dei traditã, non fabulas ethnicas, aut Iudaicas, non Traditiones Humanas, non stultas Quæstiones & rixas Legales, sed utilia & Necessaria ad veram agnitionem Christi & fidem ac bona opera, quibus studere debent, qui Christo crediderunt. Hæc enim sunt honesta & utilia hominibus, ut sequenti capite repetet.*

SENVM

Christo credentium officia seu bona opera.

1. SOBRIETAS *& Vigilantia. Cùm enim* ἔργα νέων, βλαί δε μέσων, εὐχαὶ δε γερόντων *labores iuvenum, consilia virorum, Preces senum maximè efficaces sint: &* 1. Pet. 4. *utraq; virtus, sobrietas & vigilantia ad precandum necessariò requiratur: Paulus vna voce* νηφάλιον, *deducta à verbo* νήφειν *quod à* νη πίνειν *deriuant, utramq; hoc loco complecti-*

tur.

tur: Est autem SOBRIETas virtus, quæ moderatur appetitiones cibi & potus, ita ut nec precationem, meditationem ac labores vocationis ingluuie impediamus, nec somnum nimia inedia lædamus. 1. Petr. 1. Sitis sobrij ad precationem.

Vigilantia est virtus, quæ non modò corporis somnum, ad corporis valetudinem tuendã moderatur, verùm etiam animi securitatem ac veternum, negligentem labores vocationis & veræ pietatis exercitia excutit: & in quotidiana inuocatione & cæteris vitæ consilijs & actionibus regendis, debitam attentionem, curam & assiduitatem præstat.

2. GRAVITAS, σεμνότης, veritatem, justitiam, modestiam, constantiam, & vicinas virtutes complectitur, ferè æquipollens justitiæ universali, seu virtuti, cum gravi specie, in vultu, gestu, & oratione, conjuncta. Est autem virtus, quæ omnes animi sui motus atq; impetus ita sustentat & regit, ut rationis imperium expectent, & cupiditates omnes ad rationis normam aptè dirigit. Quam animi temperationem, orationis etiam & totius corporis, in omni motu ac gestu, quædam quasi tarditas sequitur, non ponderis illa neq; lentitudinis, sed quæ ad illam interiorem mentis moderationem se accommodat, & rationis deliberationem ac imperium expectat: & in officijs vocationis, justa & necessaria constanter & æqualiter perpetuo agit. Vicia pugnantia cum Gravitate sunt, in defectu, Levitas: Impudentia contemnens aliorum iudicia & non metuens veram infamiam seu offensionem Dei,

&

& propriæ conſcientiæ, & aliorum hominum honeſtorum. Inconſtantia, non perſeverans in veritate & juſticia, ut in Ecebolo, Alcibiade, Sphodria. Pertinacia in falſis opinionibus, vel injuſtis & non neceſſarijs actionibus, ut in Anabaptiſtis, Serveto, Pericle. Moroſitas, Torvitas, ut in Demea, Timone miſantropo. Studioſi Iſocratis ſententiam meminerint: σεμνὸς ὢν οὐ ταῖς τȣ προσώπȣ συναγωγαῖς, ἀλλὰ ταῖς τȣ̃ βίȣ κατασκευαῖς: ὃν δὲ πρὸς ἓν ἀτάκτως, οὐδὲ ἀνωμάλως διακείμενος. Gravis erat non contractione aut toruitate vultus, ſed vitæ conſtantia & integritate: nulla in re inordinatè aut inæqualiter ſe gerens. ut de M. Antonino Dion ſcripſit, Similis ſibi per omnia erat, & nulla in re mutatus eſt unquã. verè autẽ Bonus erat, & nihil aſcitum vel arte fucatum habebat. Seneca in Hyppolito. Lætitia juvenem, frons decet triſtis ſenem.

3. PRVDENTIA. Nam σώφρων, quem, Moderatum, Modeſtum, & Temperantem, & continentem, & pudicum vertunt, prima origine, ſana mente præditum, cordatum & prudentem denotat. Ideoq; vetus interpres vocem σώφρονες, aptè hoc loco prudentes expreßit. Maximè. n. Senes decet Prudentia, verbo Dei, & uſu vitæ confirmata, & conſilio ſapienti, eccleſiã, Rempub: & alios juuare, & ineuntis ętatis inſcitiã regere & moderari. Nã ut Plut: ait: πεθαρχικὸν ἡ νεότης, ἡγεμονικὸν δὲ τὸ γῆρας, καὶ μάλιστα σώζεται πόλις, ἔνθα βȣλαὶ γερόντων, νέων ἀνδρῶν ἀριστεύȣσιν ἀιχμαί. Ὁ τὸ, βȣλὴν ἢ πρῶτον μεγαθύμων ἴζε γερόντων νεστέορῃ παρὰ νηί, θαυμαστῶς ἐπαινεῖται.

ται. *Sicut Augustus senex juuentutem Romanam olim allocutus est,* ἀκούσατε νεοὶ γέροντος, οὗ νεοῦ γέροντες ἤκουσαν. *Audite juuenes senem, quem juvenes senes audiebant. Nam Senex,* ἅμα πρόσω καὶ ὀπίσω λεύει, *antè simul retroq; videt, benè quid sit agendum, & in omni deliberatione & actione, primò finem certum & metam Deo placentem, juxta normam verbi Divini seu rectæ rationis constituit, ut nihil impium, aut injustum, aut non necessarium, aut impossibile, unquam suscipiat. Deinde, Media ad illum finem assequendum utilia, & rectà ducentia, prudenter eligit, & in iis obeundis ac exequendis intentionem animi, curam, diligentiam & assiduitatem necessariam præstat.* Δύο γὰρ ἐστι, ἐν οἷς γίνεται τὸ εὖ πᾶσι, ἐν μὲν ἐν τῷ τὸν σκοπὸν κεῖσθαι καὶ τέλος τῶν πράξεων, ὀρθῶς. ἐν δὲ, τὰς πρὸς τέλος φερούσας πράξεις εὑρίσκειν *Duo sunt, quæ omnes actiones bonas & laudabiles efficiunt: Vnum ut scopus & finis actionum rectè constituatur, deinde ut media ad finem ducentia rectè eligantur. In his medijs ad finem rectà ducentibus, senum experientia & usus plurimum adjumenti adfert; ut in Phænissis dicitur: Non omnia tardior ætas, quæ fugiamus habet, seris venit vsus ab annis, & in Ione.* τὸ τοῦ ποδὸς μὲν βραδύ: τὸ τοῦ δὲ νοῦ ταχύ. *Consilio, senis hæ sunt partes, bella juvabo.* Νέος γὰρ ὢν ἐδόκουν μὲν, ἐφρόνουν δ' οὐδέν. *Studiosi prudentiæ Definitionem ex Dialecticis repetant. Prudentia est virtus mentis seu Notitia vera, quæ secundum rectam rationem (luce verbi Divini illustratam) regit delibe-*

rationes

rationes in electione honestarum actionum & rerum utilium.

4. Sanos in fide), *Priores tres virtutes, senibus in Ecclesia Dei, ferè cum ethnicis, Solone, Catone censorio, Cicerone &c. communes sunt. sequentes Christianorum magna ex parte propriæ.* SANI *in* FIDE, *quæ de omnibus doctrinæ Christianæ articulis seu toto corpore Doctrinæ, sententias cum Norma verbi Divini congruentes, & nullis falsis opinionibus aut erroribus admixtis contaminatas, non Iudaicas, non Ethnicas, Turcicas, pontificias, hæreticas, in corde circumfert, ijsq; firmiter assentitur: & in misericordia Dei propter Christum promissa firmiter acquiescit, & sibi peccata propter Christum à Deo remitti, & vitam æternam donari certò statuit. Hæc usitata fidei definitio est, cujus tres partes sunt, de quarum prima hoc loco simul hoc quoq; monemur: Saniora esse senum de maximis rebus, & omnibus fidei articulis, controversis præcipuè, judicia, quàm juvenum cogitationes, quæ nondum habent suam maturitatem. Iuventus enim per sese minus perspicax & minus intenta existit, & ut audacior est, ita judicium præcipitat. Deinde, propter novitatem suas opiniones in doctrinis admiratur: quarum tamen vix obscura & exigua initia didicit, & nondum earum vim in usu consideravit. Econtra certiora sunt judicia senum, qui diu easdē res cogitarunt, & sursum ac deorsum, ut Plato inquit, volutarunt, & quasi evolutas intus contemplati sunt, quàm juuenum, qui ut hospites primùm aspicere eas foris caperunt. Impe-*

diunt

ciunt enim judicium, ætas, novitas, & imperitia. Quare ut vulnerati perito medico assentiuntur de vulneris curatione, ita in controversiis doctrinæ, anteferenda sunt senum usu peritorum, & certaminum spiritualium experientia probatorum judicia & sententiæ, cogitationibus adolescentum, qui statim sciunt omnia, neminem imitantur, atq; ipsi sibi exempla sunt, ut Plinij verbis utar.

Errorum autem causæ in doctrina fidei sunt, vel prorsus nescire Regulam veritatis, Matth. 22. Erratis nescientes scripturas: vel nosse eam, sed corruptam opinionibus sumtis à longa consuetudine, vel multitudine vel imaginationibus, quas ipsi admirantes nostram sapientiam fingimus &c.

5. CARITATE, *cujus duabus partibus,* DILECTIONE DEI & PROXIMI, *plerasq; omnes primæ & secundæ tabulæ virtutes comprehendi, ex Matth. 22. 1. Cor. 13. Rom. 13. 1. Ioh. 5. apparet, Hæc est dilectio Dei, ut mandata ejus servemus. Definitiones ex enarratione virtutum primi & quinti præcepti in Regulis vitæ studiosi repetant.*

6. PATIENTIA *est moderatio animi sine deformitate tolerantis calamitates & injurias propter Deum- vel est virtus, obediens* DEO *in perferendis ærumnis, ita ut nihil fracti adversis, contra pietatem, justitiam, modestiam, vel alias virtutes faciamus, nec* DEO *irascamur, sed Fide agnoscamus eum propter Christum nobis placatum & propitium esse, & expectemus auxilium, mitigationem, aut liberationem, &*

hac

hac fide & spe dolorem leniamus. Hæc senibus pijs, adversos vitæ casus longo tempore expertis, familiarior est, quàm juvenibus nondum cicuratis, & domitis ideoq; impatientibus injuriarum, & ærumnarum, & frementibus ac indignantibus, ut apud Sophoclem rex sapiens Oedipus inquit: Στέργειν γὰρ αἱ πάθαι με, χ' ὦ χρόνος ξυνὼν μακρὸς, διδάσκει καὶ δ' γενναῖον τρίτον.

Hæ virtutes senum, à Paulo in Ecclesia præscriptæ, conferantur cum moribus senum, quos in Rhetoricis Aristoteles ait esse, Diffidentes, & suspicaces. Quia sæpè in vita decepti sunt, sæpè errarunt ipsi. κακοήθεις, *facilè omnia in deteriorem partem accipientes, suspicaces. Pusillanimes, utpote domiti & humiliati aduersis vitæ casibus. Illiberales & sordidi, quia usu didicerunt, quàm difficile aliquid acquiratur & quàm facilè exponatur. Timidi, quia frigidi: cùm juvenes audaces sint calidi. Morosi, ob pusillanimitatem.* δυσέλπιδες *ob experientiam, quia pleraq; negocia pejores exitus quàm initio sperantur, habere experti sunt. Item ob pusillanimitatem. Loquaces, quia cum voluptate præteritorum recordantur. Iræ & cupiditates languidiores præterquam lucri:* ὀδυρτικοὶ *&c. Quos mores Horatius etiam in arte poëtica notavit.*

ANVVM officia.

Sint in habitu sancto ἐν καταστήματι ἱεροπρε-

ὡσὲ, eo statu, & amictu, & incessu, & vultu, ac motu corporis, qui sanctas matronas deceat, aliquanto plus requirit, quàm verecundiam & modestiam in gestibus & habitu corporis, qui habitus, mentis indicium est: in vestitu tegente partes corporis, quas non nudari coram alijs convenit: in sermonibus obscœnis aut lasciuis vel alioqui levitatis significationem habentibus vitandis, in sexto præcepto. 1. Pet. 3. Quarum ornatus non sit externus ille in crispatura capillorum, aut circumpositis aureis annulis, aut amictu vestium, sed occultus ille cordis homo, situs in incorrupto ornatu; lenis & quieti spiritus, qui est coram Deo pretiosus. Ita enim olim sanctæ illæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant sese.

2. Non criminatrices, μὴ διαβόλους, non calumniatrices, quæ clanculum de alijs innocentibus, vel falsa, vel vera crimina, futilitate vel cupiditate nocendi commemorent, ἀ διαβάλλω disjicio, calumnior, obtrecto. Vnde Diabolus nomen habet, cuius proprium est arte perturbare rectè dicta & calumniari veritatem. Virtus opposita est veritas, & justicia, in octauo & quinto præcepto.

3. Non vino multo servientes) ut multæ anus bibulæ sunt, ob siccitatem. Virtus opposita est Temperantia & Sobrietas, in sexto præcepto.

4. Honesta docentes, non aniles fabulas & nugas, non turpitudinem & adulteria suis lenocinijs conciliantes, ut multæ lenæ sunt & internunciæ libidinum.

Sed

Sed sua voce ac exemplo adolescentulas ad omnem honestatem instituant, ut nunc

MATRONARVM

juniorum officia, ad quæ à grandioribus natu, sunt instituendæ, sequuntur:

Vt maritos diligant) *Præcipuum enim nexus & vinculum conjugij est* AMOR MVTVVS *inter vxorem & maritum,* ARDENS *sine simulatione & coactione :* SVAVIS *sine morositate & fastidio :* SINCERVS *sine suspicionibus, & pleonexia. de quo Ephes. 5. 1. Pet. 3. 1. Tim. 2. Col. 3. præcipitur : qualis fuit inter Isaac & Rebeccam, Iacob & Rachel. Pertinet ad quartum & sextum præceptum.*

Liberos ament) φιλοστοργία, *Flagrat enim in pectoribus parentum naturale & mirificum incendium amoris, quo ex se natos ardentißimè & suauißimè diligunt, & hanc naturali benivolentia, nullo suæ utilitatis respectu incitati, omnia quæ ad incolumitatem & salutem liberorum pertinent, cupidißimè suscipiunt. Hæ naturales* στοργαὶ *ideo pectoribus parentum diuinitus insitæ sunt, ut incitent ad sui & liberorum suorum nutricationem, & defensionem, & sint vincula societatis humanæ, & nos commonefaciant de vero & ardenti amore &* φιλοστοργία *Dei æterni patris erga nos, adoptione in jus filiorum Dei pro-*

pter Christum receptos; & assiduè nobis de Dei erga nos benevolentia & amore ardenti concionentur. Quod in quotidiana inuocatione, cùm Deum patrem omnipotentem profitemur, assiduè cogitandum est, Psalm. 103. Quomodo pater miserctur filiorum. Esa, 49. Nunquid obliuisci potest mater infantem suum. Hæc in primæ virtutis quarti præcepti, videlicet φιλοστοργίας inter parentes & liberos, maritos & coniuges explicatione, copiosius recitantur, nec prolixiore enarratione sequentium virtutum, quæ nihil habent obscuritatis & quarum definitiones ex Catechesi & doctrina Ethica notæ sunt, hoc loco opus est. Tantùm igitur vocabula breuiter interpretabimur.

3. Sobrię, quasi dicat sine ebrietate, sint temperantes, non temulentæ. Nam Venus in Vinis, ignis in igne furit, sicut Romani suis vxoribus vini usum prohibuerunt, ut pudicitia earum minus periclitaretur. Græca vox σώφρονες, non modò temperantes in cibo & potu, sed etiam moderatas in cultu corporis ac vestitu, & Modestas in gestibus, vultu, sermone: & prudentes ac sedulas in officijs œconomicis denotat.

4. Castæ. Nam non solùm virgines in vita cœlibe, verùm etiam matres familias, ex marito liberos suscipientes, ἁγναί seu puræ sunt, cùm uni coniugi corpus castum & sanctum seruant, Ebr. 13. Honorabile coniugium, & torus castus seu impollutus. 1. Thess. 4. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio seu castitas vestra. Habent autem studiosi totius doctrinæ de castitate vitæ cœlibis & coniugalis, methodicam explicationem, in exto præcepto in regulis vitæ.

Do-

5. Domus custodes *seu domi manentes*, οἰκουρούς *rei domesticæ curam sedulò gerentes, ut in Heraclidis Euripides ait:* γυναικὶ γὰρ σιγὴ τε, καὶ δ' σωφρονεῖν, κάλλιστον: εἴσω δ' ἥσυχον μένειν δόμων. & ιλ. ξ. οδυσσ. *à. Homerus* ἀλλ' εἰς οἶκον ἰοῦσα, τὰ σαυτῆς ἔργα κόμιζε, ἱστόν τ' ἠλακάτην τε, καὶ ἀμφιπόλοισι κέλευε ἔργον ἐποίχεσθαι. & *Plutarchus narrat, Phidiam Eliensibus Venerem fecisse insistentem Testudini, ut Symbolum* οἰκουρίας *esset mulieribus* καὶ σιγῆς.

6. Bonæ, *benignæ, mites, placidæ, non iracundæ & morosæ Xantippæ, maritis obgannientes, sed suavi amore ac reverentia maritos complectentes. Alioquin bonus, non solùm qui prodest cui potest, nocet nemini, sed in genere præditum justitia universali seu omnibus virtutibus denotat, de quo Seneca, si sciret, quid esset vir bonus, nondum se esse crederet, fortasse etiam fieri posse desperaret.*

7. Viris suis subditæ *ac morigeræ sint, ut Sara obediuit Abrahæ, & Dominum eum appellauit. 1. Petri 3. Sed vulgò secus evenire docet rhytmus usitatus* Wer zu N. wil ein Bürger sein / Der muß der Frawen gehorsam sein. *Sed huius etiam rei suus modus est, quem illa in Troadibus expressit:* γλώσσης τε σιγὴν, ὄμμα θ' ἥσυχον πόσει παρεῖχον ἤδειν δ' ἅ με χρῶν νικᾶν πόσιν, κείνῳ τε νικῶν ὧν ἐχρῶν παριέναι. *sed maritum caput vxor agnoscat. Nam si caput esse velit, pedibus subjecta jacebit.*

Ne verbum Dei blasphemetur) *ne sua*

contumacia & morum perversitate, alijs scandalo sit & occasionem maledicendi Euangelio præbeat. Nam βλασφημία non in genere quodlibet convicium seu λοιδορίαν, sed propriè convicium contra res sacras seu contumeliam adversus Deum significat, à βλάξ ἐλακός stupidus piscis, vel à βλάπτω noceo, & φημί dico, quia tali contumelia probro afficitur Deus, quasi doctrina illius stupida, fatua, commentitia sit. Opposita vox est εὐφημία, Benedictio, etwas gutes reden vñ wünschen, ut Plato in Phædone. Δεῖ γὰρ εὐφημίαν τελευτᾶν, ut latro conversus, ὦ εὐφημία, in vera Dei invocatione decedit: sinister ἐν βλασφημίᾳ.

ADOLESCENTES adhortare.

Vt sint σώφρονες, Sobrij, seu temperantes in cibo & potu; Et patiens operũ, paruoq; assueta juventus: Modesti, non plus sibi in opinione aut sermone tribuentes sapientiæ, virtutis, doctrinæ, virium, quàm revera adest: non sint arrogantes, superbi, jactabundi, vani, ambitiosi, κενόδοξοι, sublimia inordinatè appetentes, καὶ ἐν ἀγιοσύνῃ ὑπείροχοι ἔμμεναι ἄλλων volentes. Hanc mentis sobrietatem & sanitatem, non ebriæ superbia, potius quàm à cibo & potu abstinentiam, σωφροσύνη significat. Item, ut sanam mentem, in doctrinis & actibus veras, certas, & divinitus traditas sententias studiosè discendo & propagando retineant, nec plus sapiant quàm necesse est, sed sapiant ad modestiam Rom. 12. MODErentur omnes cupiditates & affectus, contineant se à libidinibus, PVDOrem

lorem & verecundiam colant in externis gestibus, sermone, & cultu corporis, ac vestitu, & actionibus, ut ordini naturæ, personarum, & locorum congruat. Hæc omnia, Græcam vocem σωφρονεῖν, quæ hoc loco ponitur, complecti manifestum est. Hortor autem studiosos, ut Adolescentium mores, in secundo Rhetoricorum Aristotelis eruditè descriptos, legant: quem locum Horatius in arte poëtica delibavit: Cerem in vitiũ flecti, monitoribꝰ asper, Vtiliũ tardus provisor &c.

EPISCOPORVM seu PRESBYTERORVM Bona opera.

Per omnia Temetipsum præbens Typum (*exemplar, quod alij imitentur*) *Bonorum operum:* in Doctrina, ἀδιαφθορίαν integritatem (*integrum corpus doctrinæ de omnibus fidei articulis, sine corruptelis*) Gravitatem, *sine tristitia, torvitate & morum asperitate, cuius descriptionem inter officia senum paulò ante posui.* λόγον ὑγιῆ, *sermones familiares & colloquia sint pia, honesta, gravia, sincera, utilia, pudica, non levia, futilia, obscœna, maledica.* Ephes. 4. *Omnis sermo putris (inutilis) non egrediatur ex ore vestro, sed si quis bonus ad ædificationem (pietatis) quoties opus est, ut prosit audientibus.*

Multo autem eruditius & rotundius hanc Regulam vitæ Episcoporum seu Docentium in Ecclesia expressit Paulus 1. Tim. 4. TYPVS (*forma, seu exemplar omnium virtutum*) Esto fidelium (*quod in Ecclesia Dei, non Ethnicis cœtibus, auditores imitentur*)

in sermone (*Doctrinæ puritate*) conversatione (*integritate morum, sermonibus familiaribus, iustitia, veritate, modestia*) in Dilectione (*lenitate in gubernatione, & corrigendis erratis sanabilium*) in Spiritu (*Zelo spiritus vel severitate in castigandis pertinacibus*) in Fide (*fiducia seu constantia fidei & magnitudine animi, quæ nullis periculis, terroribus, minis, se deterreri ab officio patiatur*) in castitate (*vitante libidines à Deo prohibitas, quarũ comes ferè est Cæcitas & Amentia Oseæ 4. Ephes. 4. 5.*) Attende lectioni, Doctrinæ, exhortationi, (*Assiduè & attentè, tum priuatim legant* TEXTVM *scripturæ & diligenter discant: tum publicè Ecclesiam exerceant legendo & recitando Textum scripturæ. Deinde conciones ad hos duos fines referant, ut Doceant auditores de omnibus fidei articulis, vel catechesi, vel interpretatione Scripturæ. Postea, ut* EXHORtentur *ad Bona opera juxta totum Decalogum, propositis mandatis Dei, promissionibus, comminationibus, ac exemplis.*

SERVORVM & ANCILLARVM Bona opera.

Obedientia *erga Dominos, simplici corde faciens voluntatem Dei, ex animo cum benevolentia Eph. 5.*

Iustitia, *nec vi, nec fraude, sui Domini & liberorum illius corpori, famæ, aut bonis nocens, sed omnibus*

mnibus prodesse ac benefacere pro sua virili cupiens

μὴ νοσφιζομένους, *non callidè quippiam, minutum etiam, surripientes & seorsim ab oculis Domini seponentes: ut serui propter hoc commune viciũ Fures sæpè dicti sint: Quid Domini faciant, ausint cum talia fures.*

BONA FIDES *seu* FIDELITAS *constanter benevolens Domino, & diligenter ac sedulo officia ipsi debita præstans. Exempla fidelitatis & perfidiæ servorum erga Dominos, à Triumuiris proscriptos, plurima & illustria recitat Appianus lib. 4. Bellorum ciuilium. Non minus enim in servis, quàm in liberis, decora virtutum elucent.* δεῖς κακίων ὀνδοῦλος, ὅστις ἐσθλὸς ἦ. *ut multi servi, excellentes Philosophi extiterunt, Phædon Socratis, Menippus, Pompilius Theophrasti: Perseus Zenonis, Mus Epicuri, Diogenes, Epictetus.* Δοῦλος Επίκτητος γενόμην καὶ σώματι πηρὸς, καὶ πενίην ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις.

Illuxit enim Gratia Dei salutifera.

Generalis, ac ex fontibus Euangelij intimis sumpta, Adhortatio ad Bona opera, seu præstandam Deo NOVAM OBEDIentiam, quæ est prælucente vera agnitione Christi & fide, abnegare omnem impietatem, & concupiscentias mundanas (vitare & fugere omnia delicta Deo displicentia & coercere ac spiritu mortificare, ut Paulus loquitur, pravas cupiditates & adfectus lege Dei prohibitos:) & sobriè, justè, & piè vivere, ut magno Deo conditori & servatori nostro Iesu

Christo conformes simus & honorem ac Gratitudinem debitam exhibeamus. Ita enim Paulus hoc loco, κατ' ἀφαίρεσιν τοῦ ἐναντίου & κατὰ μερισμὸν per remotionem contrarij & distributionem, Bona opera seu Nouam obedientiam definit. In catechesi breuius describuntur Bona opera, actiones, (mentis voluntatis, cordis ac externorum membrorum) à Deo mandata, facta prælucente fide in Christum, hoc fine ut Deus honore afficiatur (ut testemur hunc vere esse Deum cui hanc obedientiam præstamus.)

SPECIES autem Bonorum operum seu partes Novæ obedientiæ, juxta seriem præceptorum Decalogi commodissimè distribui possunt, ut in Catechesi virtutum enumeratio, earumq; definitiones, secundum præceptorum decalogi ordinem, dispositæ sunt: Quas Paulus hoc loco in tres classes digerit. Σωφροσύνην, moderationem omnium cupiditatum & affectuum seu motuum animi & corporis, duobus postremis & sexto alijsq; Decalogi mandatis flagitatam significat. Δικαιοσύνην obedientiam erga magistratus & leges, cum secunda tabula congruentem. Εὐσέβειαν, pietatem erga Deum, veram agnitionem Dei, fidem, Dilectionem, spem, invocationem, Gratiarum actionem & cæteras primæ tabulæ virtutes complectentem. sicut vicissim peccata omnia duabus appellationibus comprehendit: Impietatis, quæ omnia primæ tabulæ delicta, Epicureas & Academicas dubitationes de Deo, & providentia, securitatem negligentem iram & judicium Dei, Diffidentiam erga Deum, falsas & Idolatricas

trícas invocationes & cultus Dei, Ingratitudinem erga Deum, impatientiam in cruce, prophanationem sabbati & cætera complectitur: & CONCV Piscentiæ mundanæ, qua non appetitiones ipsæ à Deo in natura conditæ, sed earum ἀταξία & corruptio omnium virium mentis voluntatis, cordis, & vitiosæ inclinationes, inordinatæ cupiditates & flammæ pravorum affectuum notantur. Manifestum est autem, plerasq; delicta ac scelera externa, contra secundam Decalogi tabulam, ex Cupiditate antecellentiæ, alienorum bonorum, honorum, pecuniæ, vindictæ, alienarum coniugum & aliarum voluptatum existere, ut verè in veteri versu dicitur: πηγὴ δὲ κακῶν πάντων ἐπιθυμία ἐστί. Fons omnium malorum culpæ & pœnæ, scelerum & calamitatum, est Cupiditas.

CASVAS IMPVLSIVAS seu Argumenta adhortationis, quibus ad amorem & cultum bonorum operum ardentem & assiduum excusitari ac impelli debemus: ex ipsa Euangelij natura hoc loco Paulus depromit: Quod non tantùm annunciat gratiam, seu gratuitam misericordiam Dei offerentem propter Christum omnibus hominibus fide illud amplectentibus SALVTEM seu remissionem peccatorum & æternam justitiam & vitam: Verùm etiam erudit nos, ut deinceps non amplius peccemus, Ioh. 9. Ideo enim Euangelion seu Gratia Christi, nobis à peccato redemtis SALVTEM donat, ut liberati à peccato non tantùm imputatione, verùm etiam inchoatione abolitionis peccati, deinceps diligenter vitemus peccata, & ardenti

amore

amore ac Zelo servire Deo in justitia & sanctitate vera studeamus.

2. A fine creationis & Redemptionis nostræ. Ideo enim homines à Deo creati, & per filium Dei à peccatis redempti, & spiritu Dei sanctificati sunt, vt magno Deo conditori & servatori suo Iesu Christo obediant, & peccata cum voluntate Dei pugnantia vitent. Dei enim opus sumus conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit Deus, ut in eis ambulemus. & hoc loco: Christus nos redemit ab omni iniquitate, ut mundaret sibi populum peculiarem, qui ardenti Zelo bona opera sectaretur.

3. Ab Honesto seu necessitate obtemperandi MANDATIS Dei severissimis ubiq; repetitis. Rom. 6, Non regnet peccatum in mortali corpore vestro, ut obediatis illi in concupiscentijs illius, sed præbete membra vestra organa justitiæ Dei, &c. usq; ad finem capitis. Iohan. 15. Hoc est mandatum meum, ut diligatis vos invicem. 1. Tim. 1. Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam.

4. Ab utili & inutili, seu præmijs obedientiæ, & pœnis peccatorum, præsentibus ac æternis, quas magnus Deus & servator noster Iesus Christus in glorioso & illustri adventu suo ad judicandum vivos & mortuos, distribuet reddens unicuiq; secundum opera sua, his quidem, qui perseverantes in bono opere gloriam & incorruptionem quærunt, vitam æternam, Iis autem qui contentiosi & non obediunt veritati sed iniustitiæ, indignatio

dignatio & ira & afflictio & anguſtia. Rom. 2 At contra pietas, ſeu Fides per bona opera efficax, promiſſiones habet præſentis & futuræ vitæ. 1. Tim. 4.

5. Ex natura correlatiuorũ. Vnuquiſq; reuerenter obediat illi cuius eſt proprius ſervus. Nos ſumus λαὸς περιούσιος, populus peculiaris & proprius Dei, ſelectus ex reliquo genere humano, ut uni Domino Deo & redemtori noſtro Ieſu Chriſto omnib⁹ bonis operibus ſerviamus. Ergo ſimus ζηλωταὶ καλῶν ἔργων, ardenti amore & ſtudio bona opera colamus.

CAVSA EFFICIENS bonorum operum, quod ad externam diſciplinam, ſeu honeſtam gubernationem morum, & vitanda externa ſcelera attinet, aliqua ex parte eſt Liberum arbitrium, ſeu mens rectè judicans, & Voluntas obtemperans & regens oculos, linguam, manus & alia externa membra, ne quid cum lege Dei pugnans externo facto perpetrent, ut hoc loco dicitur: Non ex operibus juſtitiæ, quæ Nos faciebamus. Eſt igitur in noſtris viribus aliqua ex parte ſitum, ut opera juſtitiæ h. juſta & honeſta opera externa faciamus. Sed interior obedientia mentis, voluntatis & cordis, Deo placens, ut vera agnitio Dei & fides reſiſtens dubitationibus, Timor Dei frenans carnalem ſecuritatem, dilectio Dei, patientia in cruce & ſimiles, accendi in nobis & præſtari ſolis liberi arbitrij viribus nequeunt: ſed tres cauſæ in effectione bonorum operum concurrunt: Primùm, Chriſtus gratuita miſericordia redimens & mundans nos ab omni iniquitate, & ſpiritu Sancto ſuo corda noſtra accendens & adiu-

adiuuans, ut credere Euangelio, Gratiam Dei annuncianti, & nos docenti, & obtemperare mandatis Dei possint. Gal. 5. Fructus spiritus sunt dilectio, gaudium, pax, benignitas Rom. 8. Si spiritu actiones carnis mortificabitis. Altera causa est verbum Dei seu Lex & Euangelion de Christo, docens, quæ opera Deus à nobis requirat & quomodo Deo placeant. III. Mens & voluntas humana conversa per spiritū Sanctum, non repugnans Christo nos per Euangelion docenti, & regenti, & agnita sua imbecillitate petens à filio Dei (sine quo nihil possumus facere Deo gratum & nobis & alijs salutare) auxilium & gubernationem, & eordis ac externorum membrorum actiones regens, ut congruant cum voluntate Dei.

CAVSA FORmalis seu anima & vita operum, per quam bona & Deo PLACENTIA opera efficiuntur (etiamsi procul adhuc absunt à perfectione legis & cùm magna infirmitate & reliqua in nobis immundicie naturæ coniuncta sunt) est FIDES in Christum, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret & mundaret à peccatis. Id ex Catechismo nostro his quatuor membris declarandum est: Primùm, persona quæ facit Bona opera, statuat se iustam esse & Deo placere GRATIS propter Christum fide. Ebr. 11. Fide Abel obtulit uberiorem hostiam Deo. II. Agnoscat & deploret multiplicia peccata adhuc in nobis herentia, ut caliginem de Deo, dubitationes, pravas inclinationes, securitatem, superbiam, admirationem sui &c. quæ impediunt quo minus legi Dei possimus

mus satisfacere. Rom. 7. III. Et tamen statuat De voluntatem æternam & immotam esse, ut ei in bonis operibus serviamus & nouam obedientiam cum ipsius lege congruentem incoëmus. Rom. 8. Debitores sumus. IV. Sciat hanc incoatam obedientiam placere Deo non propter propriam dignitatem, sed propter Christum mediatorem, ut 1. Pet. 2. dicitur: Offerte hostias spirituales acceptas Deo per Christum Ebr. 13.

FINES bonorum operum sunt, non ut per ea mereamur remissionem peccatorum, justitiam & salutem æternam. Nam hæc bona, Gratuita Dei misericordia propter solum Christi meritum Gratis tribuuntur, ut hoc secundo & sequenti capite tertio dicitur: secundum suam misericordiam salvos nos fecit per Iesum Christum seruatorem nostrum, ut iustificati illius gratia hæredes fiamus secundum spem vitæ æternæ. Sed alij sunt veri fines Matth. 5. Luceat lux vestra coram hominibus vt videant vestra bona opera & glorificetur pater vester cœlestis, & cæteri sex aut octo quos ex catechesi repetamus. Postquam verò summa doctrina de Bonis operibus methodicè à Paulo tradita, breviter indicata est: Nunc vocabula Grammaticè declarabimus.

Illuxit,) ἐπεφάνη, manifestata est, clarissimè enituit, & instar solis effulsit, & toto orbe terrarum perspicuè prædicatur. Apparent autem ea etiam, quæ non sunt.

Gratia Dei,) Gratuita misericordia Dei seu Euangelion annuncians Gratiam Dei offerentem salutem omnibus hominibus.

Salu-

Salutifera) Est enim Euangelion de Christo potentia Dei ad salutem omni credenti. Alludit autem ad nomen IESV, quod sæpè in prophetis repetitur. Gen. 49. Salutare (IESVM) tuum expectabo Domine. Et Dauid Psal. 14. Quis dabit ex Sion saluatorem (Iesum) Israel. Esa. 52. Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.

Omnibus hominibus) Vt prædicatio pœnitentiæ arguens omnes homines, gentes & Iudæos de peccato, universalis est, Rom. 2. 3. ita prædicatio Gratiæ seu remissionis peccatorum & salutis æternæ, universalis est, omnibus gentilibus pœnitentiam & Euangelio credentibus salutem offerens. Rom. 3. Matth. 11. Venite ad me Omnes. Ioh. 3. Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.

Erudiens,) παιδεύουσα, instituens nos tanquam pueros, ut Deo patri nostro obediamus, ut vitemus peccata Deo displicentia, & modestè, justè ac piè vivamus.

Abnegantes) fugientes, vitantes, ut in baptismo abrenunciamus Diabolo & omnibus operibus illius.

Impietatem) peccata cum omnibus primæ Tabulæ Decalogi virtutibus pugnantia, quæ in Catechesi ordine enumerantur.

Et concupiscentias mundanas) quas 1. Pet. 2. Concupiscentias carnales nominat, & Paulus Gal.

Gal. 5. Concupiscentiam carnis & opera carnis, illegitimos amores, incendia libidinum, scortationes, inimicitias, odia, cupiditatem vindictæ, veneficia, cædes, ebrietates, amorem suæ vitæ, gloriæ, voluptatum, potentiæ, pecuniæ, majorem quàm Dei. ex quibus Catalogis Gal. 5. 1. Cor. 6. Rom. 6. 7. 8. non solum omnia secundæ Tabulæ peccata & scelera externa, quæ ex fonte concupiscentiæ ferè emanant, verùm etiam superiora φρονήματα σαρκὸς Rom. 8. in mente, voluntate & corde, hac voce comprehendi apparet. 1. Iohan. 2. Ne diligatis mundum (peccata, libidines & fraudes, mundo seu hominibus impijs vsitatas) neq; quæ sunt in mundo. Nam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum & superbia vitæ, non est ex patre, sed ex mundo. Hæc Iohannis concio, epithetum Mundanas, declarat.

Expectantes beatam spem) vel Christum ipsum, quo fides & spes nostra nititur, vel speratam vitam & beatitudinem æternam: quæ, etiamsi gratis propter Christum donatur, tamen simul compensatio ac præmium & finis est bonorum operum. Rom. 6.

Apparitionem Gloriæ) ἐπιφάνειαν δόξης, adventum glorioſum, illustrem, cum magno splendore coniunctum, qui 2. Thess. 1. pluribus verbis describitur.

Magni Dei.) Nam hic solus verè magnus est, cùm in hoc mundo nihil magnum sit, nisi Animus magna contemnens, & solum Deum verè magnum, utpote omnipotentem, omnisapientem, omnipræsentem a-

gnoscens & colens, sicut in verbo suo se patefecit.

Et servatoris nostri Iesu Christi) Illustre testimonium de vera Deitate Christi contra Arianos observetur & causa finalis missi Christi.

Qui dedit se ipsum.) Mediatorem, ac deprecatorem pro genere humano in peccatum & mortem lapso, & homo ac victima factus, se in mortem pro nobis in cruce dedit ut noster liberator esset. Totius enim Euangelij summa illustribus verborum luminibus hoc loco traditur

Vt redimeret nos) λυτρώσηται à λύω solvo λύτρον precium quod datur pro liberatione Captivi. Cum igitur ob peccata & iniquitates nostras, æternæ servituti & damnationi obnoxij teneremur: Christus pro nobis æterno patri precium sufficiens sua intercessione ac morte exolvit, ut nos ex potestate & carceribus Diaboli latronis liberaret. Est enim λυτρῶσθαι persoluto precio emercari, ut Latinis Redimere, à re & emere, à rursus emendo derivatur.

Populum acceptabilem seu peculiarem) λαὸν περιούσιον quam Græcam vocem respondere Ebreæ Segul existimant, quam Exodi 19. verterunt peculium Psal. 134. possessionem. LXX περιουσιασμὸν, alij περιούσιον ab οὐσία substantia, facultates & περὶ circum, quod est in nostris facultatibus, nostrum peculium. 1. Pet. 2. λαὸς εἰς περιποίησιν populus acquisitionis, quem sibi Deus, ut proprium & peculiarem, utpote sanguine suo redemtum asserit & vindicat. Lutherus vertit: Ein

Volck

Volck des eigenthumbs oder sein eigen Volck.

Sectatorem) ζηλωτὴν, æmulatorem, singulari amore, diligentia, cura, studio, & vigilantia colentem bona opera, & in hoc curriculo alios antecellere & superare conantem.

Hæc loquere, & Exhortare, & argue) Epilogus primi & secundi capitis, tria præcipua officia Episcoporum, & tria genera concionum ecclesiasticarum, in primo capite tradita repetens.

Hæc) scilicet Vtilia & Necessaria ad erudiendas conscientias, de Christo redemtore, de beneficijs Christi, de fide, de pœnitentia, de peccato, Gratia & bonis operibus: LOQVERE, Doce, concionare, prædica, sicut Paulus proponere jubet, quæ ad ædificationem h. pietatem veram, timorem Dei, fidem, invocationem in animis excitandam conducunt 1. Cor. 14. EXHORTARE, ut doctrinam vtilem & salutarem de fide & bonis operibus ad usum transferant, assiduè invocent Deum fiducia Christi mediatoris, diligant Deum & proximum, obediant Deo in cruce, sint justi, temperantes, casti, denique omnia bona opera in hoc capite Senibus, juvenibus, liberis & servis præscripta studiosè colant. ET ARGVE ἔλεγχε, sicut in primo capite jubit ἔλεγχε τοὺς ἀντιλέγοντας, & hîc non solum falsam doctrinam, sed omnis generis peccata argui, & auditores ab illis deterreri jubet.

Cum omni imperio) id est, summa authoritate, tanquam Dei Legatus, non tuo sed Dei nomine Docens, exhortans, arguens 2. Cor. 5. pro Christo legatione

tione fungimur tanquam Deo exhortante per nos. Nemo te despiciat.) At hoc non videtur in nostra potestate situm. Demus modò operam doctrinæ, virtuti, industriæ & morum gravitate, ne quis nos Dei legatos justè despiciat. Tametsi auditores potius, quàm pastores officij sui hîc admoneri à Paulo consentaneum est, ne contemnant episcopum, ipsius judicio ordinatum, sed, etiamsi quid in ministro desiderent, tamen ministerium revereantur, ut Christus Luc. 10. ait: Qui vos audit, me audit. & 1. Tim. 5. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt.

CAPVT TERTIVM.

Sex locos præcipuos continet. I. Commoratur in Exhortatione ad Bona opera, quæ Fidem amplectentem Doctrinam & Beneficia magni Dei & servatoris nostri Iesu Christi necessariò sequuntur. ac initiò de OBEDIentia Magistratibus debita præcipit. Est autem Magistratus seu POTESTAS politica, officium à Deo ordinatum & gladio armatum, ut sit custos Legum & pacis publicæ h. ut juxta normam legis Dei & alias suæ Reipublicæ leges honestas, regat subditorum mores: & bonos & recte facientes defendat & ornet; sceleratos verò & contumaces gladio puniat: & Pacem conservet, propter hunc finem principalem, ut in pace vera de Deo Doctrina latè spargi, & homines ad veram Dei agnitionem & omnia pietatis & cæterarum virtutum officia assuefieri, & colligi Deo æterna eccle-

ecclesia posit. Haec definitio ex testimonijs Pauli, Rom. 13. & 1. Tim. 2. extructa est.

ὑποταγὴ seu OBEDIENTIA magistratui debita, est non fucosa aut coacta simulatio subiectionis in externo gestu, sed vera cordis reverentia & metus judicij Dei, qui hunc ordinem sanxit, quo voluntas ultrò & vero studio subijcit se magistratui propter Deum, cumq; vera cordis benevolentia & amore ac honore colit, eiq; omnia officia externa, legibus divinis & positivis mandata, opera militiae togatae & bellicae, tributa, vectigalia &c. praestat. Quia scit voluntate & sapientia Dei miranda, Magistratum reliquae multitudini regendae & tuendae praefectum esse, & hunc ordinem sanxisse Deũ, vt reliqua multitudo magistratui legitimo reverenter obtemperet. Id nominat Salomon TIMERE DEVM ET REGEM. Et Paulus non solùm propter iram seu poenam & supplicia, quibus non obedientes Politica potestas afficit, obedire jubet, sed etiam propter conscientiam, quia recusans legitimam obedientiam, polluitur peccato mortali, & fit reus irae Dei & aeternae poenae, nisi vera poenitentia rursus ad Deum convertatur.

Hae definitiones, & methodica explicationes doctrinae de toto ordine Politico, de magistratibus & subditis, & singulorum officijs, ex quarti praecepti enarratione, in Regulis vitae tradita, huc assumantur, ac inprimis sedes Materiae seu principale testimonium de Magistratibus & rebus Politicis, Rom. 13. illustratum dictis 1. Pet. 2. 1. Tim. 2. Syr. 10. Proverb. 24.

16. 8. Psal. 144. 127. 82 in conspectu assiduè versetur.

ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις, cujuscunq; ordinis potestatibus, quæ præsunt. Variæ enim species sunt magistratuum, in Monarchia, Aristocratia, Democratia, Reges, Principes, præsides, Senatus 1. Pet. 2. Subditi estote cuivis humanæ creaturæ seu magistratui, & ordinationibus ac legibus, ab homine, qui magistratu legitimo fungitur, conditis PROPTER DOMINVM cuius in terris vicarij & ministri sunt, ad vindictam maleficorum, Laudem verò benè agentium. πειθαρχεῖν) quæ virtus γυνὴ σωτῆρος, & μήτηρ εὐπραξίας ab Æschilo definitur. Ad omne opus bonum paratos) Non enim obediendum est in sceleribus, & mandatis cum voluntate & lege Dei pugnantibus, ut in Phœnissis Creonti interroganti, πῶς τἂν τεταγμεν, οὐ δίκαιον ἐκπονεῖν? An jussa non est principum fas exequi? respondet Antigone οὐκ ἦν πονηρὰ τ' ἦ, κακῶς τ' εἰρημένα. Non si impia injusta, & malè imperata sint.

μηδένα βλασφημεῖν, ἀμάχους εἶναι.

II. De IVSTItia nemini nocente maledica lingua, vel manu violenta: sed benefaciente quibus potest, & animum lenem, æquum (ἐπιεικῆ facilè alijs cedentem, ab εἴκω) mitem, pacificum erga omnes gerente, harum virtutum, Iustitiæ cognatarum, definitiones, in quinto Decalogi præcepto traditas, studiosi ex catechesi & Regulis vitæ repetant.

Eramus enim & nos stulti inobedientes.) Antithesin addit peccatorum, quibus hactenus indulserunt priusquam per gratiam Christi liberati sunt,

ne deinceps amplius scientes & volentes peccarent. Eramus stulti, ἀσύνετοι, *ignorantes Deum Ephes. 4. ambulantes in vanitate mentis &c. pugnat cum vera notitia DEI in mente.*

Inobedientes), *pugnat cum vniuersali justitia, seu obedientia in voluntate, & corde, in quarto præcepto.* Errantes πλανώμενοι, *quorum cogitationes, consilia & actiones non regebantur certa norma verbi divini sed vagabantur incertis motibus, quo cæci impetus ruebant. Nominatur autem Regula gubernatrix omnium opinionum & actionum,* SAPIENTIA *seu prudentia in primo præcepto.* Servientes cupiditatibus & voluptatibus varijs. *Virtus opposita est continentia & Temperantia, omnes cupiditates & motus animi & corporis regens, ut cum voluntate & verbo Dei congruant, ad 6. & 9. ac 10. præceptum pertinent.*

In malitia & invidia degentes.) *Virtus opposita malignitati & liuori, dolenti alterum nobis antecellere & nos inferiores duci: est Bonitas conveniens naturæ humanæ, benevolens & benefaciens quibus potest, neminiq; nocens: &* CANDOR *lætans aliorum rebus secundis:* Odiosi & invicem odio prosequentes. *Vt ameris amabilis esto, Virtus opposita est Dilectio proximi, alios homines vera benevolentia propter Deum complectens: ijsq; bona & salutaria omnia ex animo optans, neminem lædens sed pro virili omnibus benefaciens & opitulans. In hac virtute, omnia secundæ tabulæ præcepta* ἀνακεφαλαιοῦται *Paulus Rom. 13. affirmat.*

III. *Repetit principale argumentum Exhortationis ad Bona opera, ex intima natura & causa finali patefacti Euangelij sumptum, quod gratuitam remissionem peccatorum propter Christum & donationem Spiritus sancti, propter hunc finē, hominib⁹ offert, ut deinceps peccata vitent, & bonis operibus Deo seruiant. Hac occasione, pulcherrimis verborum luminibus, SVMMAM EVANGELII de iustificatione & salute nostra, intexit. Complectitur autem SALVS, omnia beneficia Christi, seu omnia bona, propter Christum nobis donata, quæ Paulus duabus partibus, IVSTitia & Vita, seu Regeneratione & renouatione complectitur.*

Caussa Efficiens προηγουμένη iustitiæ & salutis nostræ, est immensa & gratuita Bonitas, & Amor ac Misericordia Dei erga miseros homines, propter filium mediatorem. χρηστότης *à verbo* χράομαι, *utor, Bonitas libēter & promptè omnib⁹ benefaciens. Auditores distichon meminerint* χρηστὸς ἀνὴρ χρηστὸς, κοινὸν ἀγαθὸν μεόπεσι ἄλλο τι τὸ χρηστὸν κόσμῳ ἄμεινον ἔχει. φιλανθρωπία, *Ardens amor erga genus humanum, quod filius Dei in unitatem personæ assumpsit, & proprio sanguine & morte sua redemit* 1. Ioh. 4. Ioh. 3. Rom. 5. MISERICordia est affici sensu alienæ miseriæ, & opem ferre miseris ac lenire vel tollere miserias, gratuita bonitate, & ἐπιεικείᾳ non exercente summi juris acerbitatem.

Causa efficiens Impulsiva seu Mediator & intercessor

cessor movens Deum, ut nos miseros & indignos, à peccatis liberatos, spiritu sancto & salute æterna donet: sunt non Opera justiciæ, quæ Nos faciebamus, non nostra merita, nostræ virtutes aut sacrificia sed solus Filius Dei Dominus noster Iesus Christus qui solus est IESVS seu salvator nos Iustificans & ad hæreditatem vitæ æternæ recipiens Rom. 3. 5.

Causæ instrumentales seu Media, per quæ Deus SALVOS nos facit, & omnia Filij sui beneficia nobis offert, exhibet, & applicat, duo sunt, VERBVM seu Evangelion, & Sacramentum Baptismi, quo in remissionem peccatorum tingimur, & donamur Spiritu sancto, à quo reliquiæ peccati in nobis manentes mortificantur, & nova Iustitia & vita in cordibus accenditur. Definitiones & discrimina vocabulorum Regenerationis & Renovationis, ex fine loci de Iustificatione in Catechesi, hic repetantur. Instrumentum verò in nobis, quo oblatam in verbo & Sacramentis salutem accipimus, est FIDES, quæ sola Deo nos reddit amicos & in salutari usu verbi & sacramentorum omninò necessaria est. Evangelium enim est potentia Dei ad salutem omni credenti, &, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Itaq; & hoc in loco fidem vnà complecti necesse est: Salvos nos facit, sc. CREdentes, per lavacrum regenerationis. Non enim Sacramentum ex opere operato, sed fides sacramenti justificat & salvat. Effectus justificationis gratuitæ, per Christum partæ, est Renovatio naturæ per spiritum sanctum, seu expurgatio & abolitio peccati, & nova lux in mente, nova justitia, & obedientia in voluntate & corde

verde (de qua Ephes. 4. Col. 3. Rom. 6. prolixius à Paulo explicatur) in his terris inchoata, in futura verò cœlesti cum Deo consuetudine, consummanda: ubi perfecta Dei agnitio & visio, sine ulla caligine & errore, perfecta justitia sine ullo mœrore futura est quam adhuc speramus 1. Pe. 1. Regeneravit nos in spem viventē in hæreditatem incorruptibilem, impollutā immarcessibilem custoditam in cœlis, ubi nobis non præripietur. πιστὸς ὁ λόγος, vera certa & firmissima fide amplectenda est hæc doctrina de Iustificatione & salute nostra Gratis propter Christum donanda: de cujus certitudine nemo dubitare debet τὸ γὰρ ἁπλῶς φῆ πίστεως ἰσχυρότερον πασῶν ἀποδείξεων ἐστί.

De his volo te confirmare.

IV. Regula de ratione DOCENDI in Ecclesia, ut necessaria & Vtilia ad rerum pietatem, agnitionem Dei, timorem, fidem. invocationem, pœnitentiam & omnia bona opera in animis accendenda, Doceantur: non parerga, non curiosæ ac inextricabiles quæstiones, quæ profanitatem mentium & dubitationes parunt potius quàm fidem & dilectionem in CHristo Iesu. 1. Tim. 1. & Tit. 3.

περὶ τούτων βούλομαί σε διαβεβαιοῦσθαι. De his volo te certissimè asseverare, & assiduè hanc doctrinam de FIDE in Christum Iesum nos salvante, & bonis operibus seu puritate ac innocentia vitæ, auditoribus, omissis curiosis ac impijs quæstionibus, inculcare. Hæc enim sunt honesta & salutaria auditoribus, ut Chri-

stum

ſtum & beneficia illius rectè agnoſcere, ac Fide amplecti, & Deum timere, diligere, ardenter invocare, gratias agere, Deo & magiſtratibus obedire, ſobriè, temperanter & juſtè vivere diſcant, Iuſtinus, τὸ ὅλον, πίστις ἡ εἰς θεὸν, ἡ δὲ ἀγάπη περὶ δὲ ὁμόψυχον *Summa Theologiæ & vitæ Chriſtianæ eſt, Fides in Deum, & Dilectio proximi.*

μωρὰς ὑ ζητήσεις, *Antitheſis, Doce utilia omitte inutilia, non neceſſaria, curioſa, ſupervacanea, nihil ad veram pietatem momenti adferentia.* τὰ μὴ δὲν ὠφελοῦντα μὴ πόνει μάτην. *In materijs inutilibus non fruſtra labores. Neceſſaria ignoramus quia non neceſſaria didicimus.* κράτισον δὲ ἔμ ἀναγκαιοτάτοις παιδεύεσθ. *STVLTAS QVÆTIONES quales ſunt in Diatribis ſcholaſticis infinitæ. An mus rodens panem conſecratum, rodat corpus Chriſti? An hæc propoſitio, Deus eſt ſcarabæus aut cucurbita, tam poſſibilis ſit, quàm hæc, Deus eſt homo? An qualibet perſona divina poſſit quamlibet naturam aſſumere. An numerus perſonarum in divinis pertineat ad ſubſtantiam vel relationem: & an ad primam intentionem vel ſecundam? An per relationes, perſonæ diſtinguantur & conſtituantur? An hæc propoſitio ſit poſſibilis: Pater Deus odit Filium Deum? An Deus poſſit odium ſui præcipere & omne bonum prohibere, etiam amorem & cultum ſui. Talium fatuarum quæſtionum omnia in ſcholis plena ſunt.*

Et GENEALOGIAS.) *Multum diſputationum fuit de Genealogia Chriſti, ut in hodiernum*

uſq

vsq; diem, de conciliatione Genealogiarum in Matthæo & Luca litigatur. Multi etiam ambitiosè suas familias Genealogiæ Christi inserebant, ut ex nobilissima Messiæ stirpe orti viderentur. ut nunc etiam aliqui originem generis sui ab Hectore, aut Franco illius filio, vel ab Alexandro magno: Iulius Cæsar ab Æneæ repetit. Etsi autem Historias veras & utiles, & magnorum virorum & Christi inprimis Genealogias, gravi authoritate in monumentis eruditæ antiquitatis traditas, inquiri, non prohibet Paulus: tamen inextricabiles coacervationes, alienas à probatis historiis explodit, præsertim rixas de illis incertas, & reprehensiones calumniosas; sicut consentaneum est alios scriptores ab alijs acerbè taxatos esse. Et contentiones ac pugnas legales) quid differant sacrificium pro peccato & pro delicto, sacrificium Pacificorum & sacrificiũ laudis: de angulis vestium, Phylacterijs &c. Devita, περιΐστασο cohibe, ad verbũ, circumsiste, observa & velut obside, ut prohibeas, quo minus latius serpant. Sunt enim inutiles & μάταιαι. Confer 1. Tim. 1. Finis mandati, seu summa doctrinæ & vitæ Christianæ est Dilectio ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, à quibus cùm quidam aberrarent, deflexerunt ad ματαιολογίαν, cùm velint esse Legis Doctores, nec intelligant quæ loquuntur, neq; de quibus asseverant.

V. HÆRETICVM, qui pertinaciter errorem pugnantem adversus Fundamentum Fidei (πίσὸν λόγον) defendit, & admonitus de errore non desistit; jubet

bet à pijs Euangelij ministris & auditorib', non interfici & comburi, sed vitari & fugi, tanquam excommunicatum. αἵρεσις, propriè significat electionem, ab αἱρέω, eligo. Inde pro eo, quod Latini sectam vocant, usurpari cœpit, ut cùm tres vel quatuor sectas Philosophorum discernimus. Sectam verò definit Cicero, certam quandam disciplinæ formulam, factione, studio, ratione vitæ, à cæteris distinctam, ut Peripatetica, Stoica. Fuit enim initio honestum nomen αἱρέσεως & sectæ, vel certè medium: tametsi postea, ut Magiæ, Tyrannidis, Sophistæ & alia, non nisi in vituperio usurpari cœpit. αἱρετικὸς sectæ novæ autor, qui dogmata contra pietatem Christianam elegit, vel errorem cum articulo aliquo Christianæ fidei pugnantem, contempto Dei & Ecclesiæ judicio pertinaciter defendit, & discipulis assciis Ecclesiæ concordiam discindit. nobis Germanis dicitur ein Ketzer, ab Ebreo Hitzez divisit, separavit: qui se à recepta sacræ scripturæ & ecclesiæ doctrina abscidit, qui Græcis est ἀποσχάτης. Hic, cùm aliquoties admonitus, in meliorem viã, ad unitatem fidei ac ecclesiæ revocari nequit, à pijs communio & societas illius vitanda, non ipse jugulandus aut de vita tollendus est. Duæ autem præcipuæ causæ sunt prohibitæ coniunctionis & consuetudinis Hæreticorum, Idolatrarum, & aliorum sceleribus pollutorum, primùm Pœna delinquentium excommunicatorum in cœtu fidelium, ut pudore suffusi ad pœnitentiam redeant. 1. Cor. 5. Cùm talibus ne quidem cibũ capiatis. 2. Cor. 6. Exite ex medio eorum. 2. Ioh. 1. Nec aue dixeritis. Deinde cautio seu Vtilitas piorum, ne Hæreticorum, insi-

infidelium aut sceleratorum doctrina, sermonibus aut exemplis seducantur, ut Salomon consuetudine impiarum mulierum seductus est, & Grex totus in agris unius scabie cadit: Sunt autem pij, vel simplices ac infirmi quibus omnino impiorum familiaritas interdicitur, ne eorum πιθανολογίαις & fraudibus in errorem adducantur. Alij firmi in fide, & stabiliti, à quibus Hæreticos & alios impios converti potiùs quàm ipsos à vera pietate auerti posse speretur. His non prohibetur cum impijs, Iudæis, Ethnicis, Turcis & aliarum hæreseon seu sectarum hominibus, præsertim oblata occasione eos docendi, conversari, ut Christus cum Pharisæis & peccatoribus familiariter convivatur. Exeundum enim nobis est ex medio impiorum, mente, non carne: operib⁹, non corporibus: non faciendo mala nec consentiendo, sed se ipsum castum & innocentem servando. Sciens quòd eversus sit talis, ut nihil spei illum lucrifaciendi reliquum sit. Errare enim humanum, pertinaciter perseverare & non pœnitere Diabolicum est, & vulgo dicitur, Duxij non revertuntur. & peccet ὢν αὐτοκατάκριτος: Ipse sua pertinacia seipsum condemnat, & implicitum esse laqueis Diabolì declarat: sua igitur propria culpa perijt, non episcopi eum excommunicantis, vel vitantis, & cavere & fugere iubentis.

Cum misero Arteman ad te. *In fine addit familiaria. quib⁹ intexit admonitionem. ut Christiani liberos suos rectè instituì, & artibus honestis erudiri sinant, ut præesse possint bonis operibus, in Ne-*

cessa-

ceſſarijs functionibus Reipublicæ *administrandis, regere judicia, forum, militiam togatam & bellicam, ut luceant fides, confeſsio, & dilectio, in magnis negotijs, pertinentibus ad communem ſocietatem, & multi eorum exemplo ad veram pietatem & fidem Chriſtianam invitentur.* Cum miſero Arteman aut Tychicum) *ut tibi ſuccedant, & te abſente officium epiſcopi in Creta adminiſtrent. Artemas*, ab ἄρω ἀρτίζω *concinnus.* TYCHICVS *Aſianus Act. 20. aſſiduus comes itinerum Pauli, à quo miſſus ex urbe Roma pertulit epiſtolam ad Epheſios & Coloſſenſes, 2. Tim. 4. Eph. 6. Col. 4.* τυχικός, *felix, fortunatus.*

Nicopolin) *Nicopolis Thraciæ urbs eſt ad Neſſum fluuium ſita, non procul à Philippis. Hanc in fine huius epiſtolæ vocari Nicopolin Macedoniæ exiſtimant. Sed Hieronymus in commentarijs huius epiſtolæ, de Nicopoli ad ſinum Ambracium, in Epiro, ædificata ab Auguſto victore Antonij, interpretatur.* Νικόπολις *urbs victoriæ.* ζηνᾶν τὸν νομικόν, *Legisperitum ſeu juriſconſultum, cujus alibi mentionem fieri non recordor.*

Apollo.) *Iudæus Alexandrinus vir doctus, & ardens Zelo pietatis, Epheſi & Corinthi docuit. cuius Act. 18. 19. 1. Cor. 1. 3. 16. & hoc loco fit mentio.* ἀπόλλω *dicitur ab* ἀπολύω, *vel* ἀπολόω, *vel* ἀποφεύγω *à fugiendi arte.*

Diſcant autem & noſtri.) *De inſtitutione liberorum Chriſtianorum, ut diſcant artes vitæ neceſſarias, ut ipſorum uſus eſſe poſsit in ſocietate communi, in alijs docendis & regendis, in priuata inſtitutione, in dan-*

landis consiliis in gubernatione Reip. in iudiciis & artibus mechanicis. Salutant te.) Fini epistolæ addit usitato more Salutationes, quæ & Benevolentiæ, erga eiusdem fidei Symmystas significationes sunt: & Precationes, quibus omnia bona animi & corporis præsentia & æterna, ipsis à Deo optat. Gratia cum omnibus vobis.) Dei gratuitam benevolentiam & favorem, & omnia Dei propicij & propter Christum placati Beneficia, vobis ex animo precor, seu, Bene valete animo & corpore, in hac vita & omni æternitate.

Hic igitur sit nostræ etiam prælectionis epistolæ ad Titum, qua vobis in patriam discessurus valedicere volui, finis. Ago autem vobiscum, coniunctis votis Deo gratias, pro Halcyonijs, quæ immensa bonitate concedit huic Ecclesiæ & Scholæ & vicinis regionibus, ad colenda tum aliarum bonarum artium, tum etiam doctrinæ cœlestis studia: ac toto pectore precor eundem Deum patrem Domini nostri Iesu Christi, ut pestis semina supprimat, Academiam & artes ad hanc temporaneam & æternam vitam necessarias, in his locis clementer servet: Illustriss: & optimo Principi & Domino Dn. VLRICO patri patriæ annos proroget: Turcam pessundet, difficultates horum temporum mitiget, & nos protegat & gubernet. Valete auditores studiosissimi & crescite in cognitione Domini Servatoris nostri IESV CHRISTI. Gratia Dei patris, Filij & Spiritus Sancti sit cum omnibus vobis in æternum.

FINIS.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1690297263/phys_0072

landis
tibus
le addi
tia, erg
Precatu
sentia &
mnibu
favoren
placati
lete ani
H
Titum
velai ,
votis D
sa bonit
regionib
tum etia
eundem
pestis sen
tempora
clemente
no Dn.
cam pes
& nos
sumi &
no

ationc Reip. in iudiciis & ar-
lutant te.) Fini epistо-
utationes, quæ & Benevolen-
mmystas significationes sunt; &
a bona animi & corporis præ-
Deo optat. Gratia cum o-
gratuitam benevolentiam &
propicij & propter Christum
animo precor, seu, Bene va-
hac vita & omni æternitate.
etiam prælectionis epistolæ ad
patriam discessurus valedicere
autem vobiscum, coniunctis
Halcyonijs, quæ immen-
Ecclesiæ & Schola & vicinis
m aliarum bonarum artium,
is studia: ac toto pectore precor
Domini nostri Iesu Christi, ut
Academiam & artes ad hanc
n vitam necessarias, in his locis
: & optimo Principi & Domi
patriæ annos proroget: Tur-
es horum temporum mitiget,
net. Valete auditores studiosis-
tione Domini Servatoris
RISTI. Gratia Dei
omini Sancti sit cum
vobis in æ-
rnum.
NIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1690297263/phys_0073